221

FRANCISCI XAVERII PATRITII

E SOCIETATE IESU

COMMENTATIONES TRES

DE SCRIPTURIS DIVINIS
DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE A PAULO DESCRIPTA
DE CHRISTO PANE VITAE

ALMA COLLEGE
220.1
LIBRARY
P275
Alma, California
Inspiration

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM
MDCCCLI.

6085

FRANCISCUS XAVERIUS PATRITIUS

AUDITORIBUS SUIS

S. P. D.

Quid hoc plagularum est? An huc redacti libri illi tres de Evangeliis, quos ut tandem aliquando edas te iamdiu exspectamus; utque tantillam reculam nobis obtruderes in Germaniam usque tenderes necesse fuit? Sic vos percontantes audire mihi videor, Iuvenes humanissimi, veluti si moras nectenti succensere iam iam occiperetis. Sed nimirum rem reique caussam accipite. Duobus ante annis, quum Lovanii essem, quidni dicam exsularem? auditoribus, quos illic habebam, enarravi inter cetera etiam ea, quae Paulus de libris divinis *scripsit ad Timotheum, quaeque ad Romanos* de peccato originali. *Utramque commentationem mecum huc adtuleram, ambaeque latebant inter mea pugillaria, et quodammodo otiabantur. Quin et ipse otiari sane invitus cogebar; nam praelum, cui commisi libros de Evangeliis, cessabat, domi nihil librorum, alia, quae agerem, nulla erant, horaeque perplurimae mihi vacuae issent, quo nihil molestius. Ut id caverem, atque ita ut non omnino operam abuterer, hae commentationes e re esse visae sunt. Itaque statui ambas alia forma alioque ordine digerere atque expolire, ne, si forte res ferret, prodire in publicum plus nimio eas puderet. Iam primam absolveram, et item alteram; adhuc tamen erant, quae me reditum ad Urbem iuberent differre. Quare tertiam conscripsi* De Christo pane vitae, *eaque illis duabus adiecta omnes typographo edendas demandavi. Quo in negotio illud mihi multo iucundissimum accidisse gaudeo, ut haberem quod vobis quasi quoddam munusculum hinc mitterem, levidense illud quidem, sed quod fidem*

faceret non quinque totos hos menses mihi actos, quin, quod meum est officium, et in quo mihi unice placeo, vestris studiis atque progressibus inservirem. Hunc ergo libellum vobis habetote, mole exiguum, argumento grandem, utilitate et fructu utinam huic magis quam illi parem. Datum Friburgi inter Rhenum et Hercynium iugum VII *kalend. novembr.* CIↃIↃCCCLI.

COMMENTATIO PRIMA

DE SCRIPTURIS DIVINIS

§ I *Nomen.*

Quae divina sunt, appositis ea vocabulis ita enuntiare, ut rei notio plene atque omnimodis exprimatur, nulli humanorum sermonum concessum est; nam *Deus in hac vita . . .*, inquit Thomas, *cognoscitur a nobis ex creaturis ; . . . sic igitur potest nominari a nobis ex creaturis*, proinde necesse est ut *nomina deficiant a modo ipsius* (1). Id ipsi experimento cognoscimus, quum sive *scripturas* sive *biblia* nominamus, quorum nominum significationem ad longe plus intelligendum, quam dicimus, esse sentimus; nihil enim aliud haec sonant, nisi quod est toti scriptorum aut librorum generi commune, quod vero praeterea his nominibus exprimere volumus, non ab etymo ea habent, sed ab usu. Usus ergo quum ipsorum etymon suppleat, quumque, quid nomen *scripturae* significet, constet inter omnes, non est cur, qui vocabulorum proprietatem in hac disputatione, ad quam adgredimur, sectari volumus, hoc nomen usurpare reformidemus. Itaque satis sit semel id praedixisse, ne saepius *inquam* aut *id est* interponere cogar, nomen *scripturas* in tota hac nostra commentatione ad ipsos libros, quos ita vocare mos est, significandos esse usurpatum.

§ II *Definitio.*

Scripturae sunt libri Dei. Plenior tamen et clarior erit definitio, si dicas sic: Scripturae sunt libri Deo inspirante conscripti.

(1) 1. q. 13. a. 1. c. et ad 2.

Genus signat vox *libri*. Tale autem esse genus ipsi perspicimus, scripturasque, qua libri eae sunt, a ceteris libris genere haud discrepare. Quidquid igitur horum proprium est, illarum quoque sit oportet, nimirum ut literis, vocibus, sententiis, sermone hominum constent; aut id accipiendum, aut negandum scripturas librum esse. Quo posito iam quaestiones nonnullas ex iis, quae de scripturis haberi solent, vel nullum habere momentum, vel solvi facile posse intelligimus. Nomen autem *libri* ad hanc definitionem opportunius est, quam nomen *scripta*. Nomen enim *scripta* signat genus, non ultimum, sed superius; omnes quippe libri sunt de genere scriptorum, at scripta de librorum genere non omnia sunt. Quodque consequens est, si pro nomine *libri* nomen *scripta* in hac definitione adhiberemus, ea quoque hoc nomine complecteremur, quae quum libri non sint, nec scripturae sunt, verbi gratia, ipsas *tabulas* Moysi a Deo traditas, verba *Mane*, *Thecel*, *Phares* descripta *in pariete*, item ea, quae Christus *digito scribebat* IN TERRA.

Formam enuntiamus vocibus *Deo inspirante conscripti*. Apparet eam ab uno auctore totam esse repetendam; quo illud confirmatur, nullam scripturas inter ac ceteros libros esse ex ipso genere differentiam. Dicimus *Deo inspirante conscripti*, non autem *Divinitus conscripti*, nec simpliciter *divini*. Verba enim, quibus eius, quod definimus, forma enuntiatur, necesse est comprehendant dumtaxat tum totum hoc ipsum, tum quidquid huius unius in toto genere proprium est. Utrumque nihilque praeterea voces *Deo inspirante conscripti* comprehendunt in hac definitione; at voces *divinitus conscripti* et *divini* latius paterent. Etenim pleraque conciliorum oecumenicorum decreta, si ad materiem spectes, libros *divinos*, si ad opem, qua Deus antistites qui haec scripsere, iuvit, *divinitus conscriptos* verissime dixeris, quamquam neutrum, si ad inspirationem, cui in iis scribendis nullae fuerunt partes, ex quo neque pro scripturis habenda ea sunt. E contrario illa bibliorum capita, in quae aliquod factum aut dictum sive impium sive turpe relatum est, utique scripturae sunt, quippe *Deo inspirante conscripta*, tametsi quan-

tum ad materiem *divina* nec haberi nec dici queant. Itaque vocibus *Deo inspirante conscripti* nec illa decreta aut aliud quid horum simile comprehendimus, tametsi ea, utpote libri, eodem cum scripturis genere contineantur, nec divinam sive materiem sive opem, quibus quidem illa divina sunt, sed quae, sicut ex dictis quoque adparet, non eius dumtaxat, quod definimus, id est scripturarum, propriae in toto genere sunt, quae tamen omnia comprehenderemus vocibus *divini* et *divinitus conscripti*; comprehendimus autem tum illa quoque bibliorum capita quae dixi, atque adeo totam rem definitam, tum quidquid huius unius rei proprium est in toto genere, nihilque praeter haec duo, quae duo tamen illis alteris vocibus utique comprehenderentur, sed non sola.

§ III *Divinitas.*

Definitio ipsa nos docet, quanam ab origine sit scripturarum divinitas repetenda. Repeti quidem ea vulgo solet ex tribus, ex eo videlicet quod Deus bibliorum scriptoribus inspiraverit, quae scriberent, quae aliter scire nequibant, revelaverit, adfuerit denique, ne inter scribendum errarent; verum si adcuratius rem consideres, facile senties non sic habere, utque aliquis liber Dei sit, haec tria requiri ea quidem, non tamen omnia aeque aut semper, sed neque unum horum quodlibet sufficere. Requiritur enim Dei praesidium, ne scriptor erret, idque semper requiritur, quia scriptor, homo quum sit, semper fieri potest ut erret. Non tamen sufficit, quum alii quoque libri Deo opitulante conscripti sint, velut conciliorum oecumenicorum decreta, quin Dei libri habeantur aut vocentur; sed neque potest satis esse, quum ille qui alteri scribenti adest solummodo, eumque iuvat, non hoc libri auctor haberi possit. Revelatio quoque tunc requiritur, quum, quae Deus scribi vult, scriptor alio modo nequit cognoscere; at quum plerumque scriptor id queat, illa non semper requiritur. Satis insuper ea tunc est, quum Deus quaedam idcirco alicui revelat, ut hic scripto illa excipiat; hac enim in re Deus ita se gerit, ut qui al-

teri aliquid scribendum dictat; at quum quis ea quae sibi olim revelata a Deo fuerant, non tamen ideo ut scriberentur, ipse proprio dumtaxat consilio literis consignat, huiusmodi revelatio ad id quod diximus, minime sufficit, quum nemo existimetur auctor esse eius libri, cuius paginis alius quivis ea, quae ab ipso olim audierat, illeverit. Denique inspiratio eaque semper requiritur, semperque satis est, ut, qui scribitur, Dei liber sit, deque numero scripturarum. Requiritur inquam idque semper, quia scripturae non sic Dei liber sunt, quasi si Deus ipse eas conscripserit; non ergo alio pacto esse possunt, nisi si propria, ut ita dicam, sensa propriasque sententias, id demum, quod scribi vult, Deus scriptori suggerat ac veluti dictet. Semper autem inspiratio sufficit; quia, ut liber pro cuiuspiam opere habeatur, satis est ut is illum dictaverit.

At enim, inquies, si semper inspiratio sufficit, cur dictum est Dei praesidium opemque semper requiri? Nimirum, quum verba, loquutiones, in summa ipse sermo inspiratus minime esset, sed scriptoris voluntati, ingenio, ac stilo permissus, fieri poterat ut is, etsi quae scriberet a Deo doceretur, tamen minus recte haec exciperet exponeretque; ne id fieret, Deus scriptori ope sua aderat. Liquet igitur non eodem inspirationem praesentemque hanc Dei opem pertinuisse; illa enim ad res, quae verbis exprimendae erant, haec ad verba, quibus res exprimerentur, pertinebat. Iam vero res scribendas dictasse sufficit ad id, ut liber eius sit, qui dictavit; ut vero ita scribatur talisque sit ac prodeat, atque ille dictat, necesse est ipse scribenti adsit, eumque iuvet ac dirigat. Pari modo ad id, ut liber Dei esse vere ac proprie dicatur, sufficit res et sententias a Deo veluti dictari; ne vero eas perperam scriptor excipiat verbisque ac sermone exprimat, quo liber iam non talis foret, qualem Deus dictavit seu inspiravit, Dei ipsius ope prospectum est. Itaque inspiratio efficit, ut qui scribitur, Dei liber sit, ergo sufficit; divinae vero opis praesidium libro ipsi cavet, ne talis esse desinat, quod profecto praestare nequit, nisi si liber iam talis sit, ergo requiritur quidem, non tamen sufficit.

Dices quoque : Si revelatio subinde sufficit , cur semper inspiratio requiritur? Verum iam demonstravimus revelationem tunc satis esse, quum Deus ideo quaedam scriptori revelat , ut is literis ea consignet , quo fit ut huiusmodi revelatio sit simul inspiratio , aut si ita dicere mavis, inspirationem sibi habeat adiunctam, id est vim atque efficaciam, quae scriptorem ad agendum revelataque scripto excipienda impellat; hac enim re inspiratio consistit. Quod si hic quoque inspirationem a revelatione dividere malis , non repugnabo , sed hoc posito neges oportet revelationem unquam ad id sufficere ut qui scribitur , Dei liber sit ; verum lis erit de nomine, quum, quando illud fit, revelatio et inspiratio re ipsa dividi nequeant , sunt enim unus atque idem Dei actus.

Ex his quae hactenus disputavimus apparet manifesto illud , quod idem ex ipsa scripturarum definitione colligitur, inspirationem esse, cui caussae illarum divinitatem adtribuamus, quaque fit ut eae Dei liber vere ac proprie vocentur atque habeantur. Quare de inspiratione ipsa iam dicere oportet.

§ IV *Inspiratio.*

Inspiratio , qua scripturae Dei liber sunt , ita definienda esse videtur : Dei actus hominem excitans ad ipsius sensa scripto excipienda.

Genus ut vocant proximum enuntiatur verbis *Dei actus excitans* ; e quibus vox *actus* signat genus superius, cuius genus hoc proximum pars est, vox autem *excitans* proximi generis formam, qua ipsum hoc genus proximum a ceteris superioris generis partibus distinguitur, Deique *actus* fit talis, qualem, inquam, esse ipsa vox *excitans* significat. Haec autem vox significat hunc Dei actum versari potissimum circa scriptoris voluntatem, adque eam movendam praecipue pertinere. Versetur quidem hic necesse est etiam circa illius intelligentiam, ut simul huic res scribendas, quo demum cumque modo ex iis quos dicemus, suggerat. Inspirationi tamen definiendae vocem *excitans* aptiorem esse censemus , quam

vocem *suggerens;* haec enim cum solummodo actum significat, qui ad intelligentiam pertinet, illa vero, etsi directo eum, qui in alterius voluntate movenda, oblique tamen atque implicite eum quoque, qui in docendo intellectu versatur, quum nemo quempiam ad aliquid agendum impellere queat, quin simul ea doceat, quae agi ab ipso vult. Nempe, qui suggerit, non hoc excitat, at, qui excitat, simul suggerit.

Modus autem, quo Deus bibliorum scriptores excitabat, non unus semper atque idem erat. Nam vel per se id exsequebatur, vel per alium, externoque ac sensili edito indicio, vel secus. Maxime omnium usitatus, atque ut ita dicam vulgaris communisque modus ille erat, quo Deus per se nulloque sensili signo alicuius voluntatem excitabat ad ea, quae ipse huius menti suggerebat, literis consignanda; quo modo scripta fuisse videtur maxima bibliorum pars, historiae, inquam, Psalmi, librique morales, Novum item Testamentum, excepta Apocalypsi, sed et plurima vaticinia. Ceteris vero modis Deus nisi cum prophetis egisse videtur. Hos interdum ipse per se, sensili tamen aliquo signo atque adeo externo adhibito, scribere iubebat, docebatque quae scriberent. Lege Ierem. XXXVI, 2 coll. 18, itemque Apoc. I, 11 coll. 10. 12. 17 etc. Subinde angelus vicem Dei fungebatur, prophetae voluntatem ad certa quaedam scribenda impellens. Huiusmodi forsitan illud est, quod legimus in Zach. I, 14. Forsitan inquam; non modo, quia non satis constat in eo loco agi quoque de iis, quae Zacharias vaticinabatur, scribendis, sed etiam quia argumenta sunt, eaque nec levia nec pauca, in alio loco a nobis exposita (1), quae credere suadent, nisi quid obstet, angelum qui priore foedere adhuc obtinente cum prophetis agebat et colloquebatur, fuisse ipsum Verbum divinum. Denique Dei ea de re iussa prophetis subinde per angelos extrinsecus adferebantur, ut factum legimus in Apoc. XIX 9 coll. 10.

Definitionis verba *ad ipsius sensa scripto excipienda* formam sive differentiam designant rei definitae. Apparet illam

(1) Comment. de Malach. II, 17—III, 6 etc. propediem edenda.

ex actionis fine totam esse; nec enim ex actione ipsa aut actionis modo, sed neque ex eo qui agit esse illa potest. Ipsius autem finis genus et formam verba perspicue exhibent. Quod minime fieret, si pro his verbis simpliciter *ad scribendum* diceremus. Hoc enim actionis finem utique significaret, sed ex parte et quod ad genus dumtaxat; proinde formam reticendo, non satis res quae debet exprimeretur. Adde, quod inspiratio quemquam ad scribendum impellens, quin hunc scribenda doceat, minime efficiat ut, qui scribitur, sit liber Dei; tum futile quid ea foret, quod nemo non sentit.

Ergo ipsius finis, quo haec Dei actio pertinet, genus enuntiatur vocibus *ipsius sensa*. Harum potius vocum quam aliarum usurpandarum caussa ea est, quia, ut liber vere ac proprie alicuius opus dici atque haberi queat, huius dumtaxat sensis constet necesse est, iis inquam rebus ac sententiis (utrasque enim nomine *sensa* comprehendimus), omnibus ac solis, quas idem hic ipse vult literis esse consignatas. Proinde, si scripturae vel non omnia, quae Deus scribi voluit, vel alia praeter haec complecterentur, iam Dei liber non essent.

Finis autem formam verbis *scripto excipienda* significamus. Pro quibus simplex verbum *scribenda* minus foret opportunum; non enim intelligeremus utrum sua sponte suoque consilio an secus, utrum suo an alterius marte scriptor id faceret; at quum quis aliquid *scripto excipere* dicitur, hoc ipso iam liquet eum non modo non propria, sed alterius sensa, verum etiam non per se ipsum, sed altero dictante conscribere.

Haec illa forma est, quae discrimen ponit inter inspirationem, qua bibliorum *scriptores*, interque eam, qua *prophetae* agebantur, id est inter eam quae *ad scribendum*, quaeque *ad loquendum* est inspiratio. Quod discrimen tenendum omnino atque adtendendum est, tametsi non omnes harum rerum tractatores nec semper nec satis id fecerint. Ut liber sit Dei, ut inquam Deus libri auctor vere et dici et haberi queat, illa prior inspiratio requiritur, altera enim non

sufficit. Quum verbi gratia Isaias virginem parituram praedixit, ea inspiratione agebatur, quae est ad loquendum; at non hoc ea praedictio scriptis ab Isaia sponte sua postea mandata Dei liber et scripturarum pars haberi potuisset, verum necesse fuit eum praeterea Deus ea inspiratione, quae ad scribendum est, ageret, ut illam praedictionem scripto exciperet. Haec ex ipsa scripturarum definitione consequuntur.

Porro autem haec distinctio, ut id quoque obiter moneam, nos quam maxime iuvat ad illos religionum nostrarum hostes plane refellendos, qui scripturarum sanctitatem divinitatemque adlatrare atque irridere haud verentur, vel quod nonnulla impie aut turpiter tum dicta tum facta in eas relata leguntur, vel quae veritati adversantur, ut hoc illius hominis, qui Christi beneficio visum receperat, effatum: *Scimus . . . quia peccatores Deus non audit* (1), vel quae pugnantia esse nemo non videat, uti quod Iacobus in Aegyptum venerit *in animabus septuaginta quinque* (2), ut Stephanus aiebat, ut vero Moyses scriptis memoriae prodidit, *septuaginta* (3). Itaque distinguere oportet ipsorum scriptorum dicta, quae ipsi proferunt, et aliorum, quae iidem ipsi solummodo referunt. Illa simpliciter omnique ex parte inspirata sunt; haec vero ex ea parte, quatenus ab ipso scriptore referuntur, inspirata sunt procul dubio, ex ea vero, quatenus prolata ab aliis fuerunt, vel inspirata minime sunt, vel, an sint, non constat. Id apparet vel ex obiectis ipsis. Illud quod Stephanus narrabat, multoque minus quod vir ille olim caecus aiebat, minime vero omnium turpia atque impia, quae in scripturis legimus, nequaquam ex inspiratione prolata sunt, sunt tamen ex inspiratione a scriptoribus sacris in bibliorum paginas relata.

Verum haec ipsa distinctio temere atque inconsiderate adhibita perniciose aliquem falleret. Quum enim distinctionis necessitas ex eo nascatur, quod de veritate quidem deque divina auctoritate sententiarum, quas sacri scriptores ipsi pro-

(1) Io. IX, 31.
(2) Act. VII, 14.
(3) Genes. XLVI, 27.

ferunt, certo constet, de aliorum vero, quas referunt, nequeat hoc uno argumento, quod hae ab illis referantur constare, quumque illi aeque referant aliorum sermones, orationes, sententiasque sive pias sanctasque, sive turpes atque impias, fieri posset ut quis dubitaret, an divina auctoritate polleant bibliorum partes bene multae, quae ex aliorum ac θεοπνευστων scriptorum verbis constant, veluti orationes Petri, Pauli, Stephani in Acta apostolorum relatae, hymni Annae, Ezechiae, Zachariae, Mariae Virginis, maxima pars sermonum, qui in Iobi librum relati sunt.

Itaque quod ad hymnos, ut ab his exordiar, animadverte hos singulares libellos esse, utpote non ore tantum ac voce, sed scripto ab ipsorum auctoribus editos, quam rem ea quae legimus in Is. XXXVIII, 9 seqq., plene confirmant; proinde hi scripturarum libri sunt, non secus ac ceteri, tametsi non seorsum positi, sed aliis inserti, quaeque continent, ab aliis scriptoribus sacris integre relata sunt eo prorsus modo, quo alia quoque scripturarum verba referre solent. Conf. IV Reg. XIX—XX cum Is. XXXVII—XXXVIII.

Quod vero adtinet ad aliorum sententias, orationes, sermones a scriptoribus sacris relatos, si haec turpe aliquod aut impium aut a veritate abhorrens exhibeant, quid de his sentire oporteat, ex ipsa distinctione quam exponimus, adparet manifesto. Sin secus, sunt qui divina auctoritate haec pollere demonstrari posse existiment illis Petri verbis: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines* (1). At Petrus in eo loco non de vaticiniis nec de *scriptione* agit, sed de *interpretatione* librorum sacrorum (2). Non ergo simpliciter et in universum est adfirmandum divinam auctoritatem inesse quibuscumque sermonibus, orationibus, sententiis, quae ab aliis prolata a bibliorum scriptoribus referuntur, et in quibus nihil deprehenditur a veritate, pietate, honestate dissonum, sed illis solummodo, quae

(1) II Pet. I, 21.

(2) Conf. ib. 20 et I Cor. XIV.

non est dubium ab ipso scripturarum auctore id est a Deo tametsi non aperte probari. Haec enim probatio vel argumentum est divinae auctoritatis, quae illis iam inerat, quum in bibliorum paginas relata ea sunt, vel caussa, qua haec auctoritas iis conciliatur. In summa vel divina auctoritas illis iam inerat, quum scriptor ea referebat, vel secus. Si inerat, iam nullus quaestioni locus est. Sin secus, hoc ipso quod Deo ea probante relata sint, divina auctoritas indita eis est, factaque ipsa sunt scripturae omni ex parte, tum ex materia, tum ex scriptione; ex materia quidem, quia huic iam divina auctoritas inest, quum Deus ea probaverit, ex scriptione autem, quia Deo inspirante sunt scripto excepta inque bibliorum paginis posita. Qua ex ratione liquido intelligimus fieri posse ut non modo aliquot sententiae, sed longiores quoque orationes ac sermones, qui in bibliis leguntur, atque integra horum capita, quamquam scripturae sint, hoc est Deo inspirante conscripta, divina tamen careant auctoritate. Cuius rei specimen habes luculentissimum in libro Iobi, in quo de prolixis illis Eliphazi et sociorum disputationibus in eum relatis Deus ipse iudicium fecit his verbis: *Iratus est furor meus in te, et in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum* (1). Attamen quod ad haec quoque quae adfirmamus, aliqua item distinctione opus est.

Etenim hinc alia difficultas exsistit. Paullo supra notavimus Stephani verba Moysis verbis contraria, ostendimusque hanc veluti pugnam ipsi scripturarum veritati ac divinitati minime adversari, quum ab iis quae bibliorum scriptores ipsi proferunt, ea distinguere oporteat, quae ab aliis dicta referunt, ita ut positum haberemus haec Stephani verba, qua ab eo sunt prolata, nequaquam divina auctoritate esse praedita, quum Stephanus nec scriptor θεοπνευστος foret nec apostolus. Nunc vero adfirmamus, quae Deo ipsa probante in scripturas relata sunt, divinam his auctoritatem inesse. At enim ecquis dubitet, an Deo probata fuerit Stephani ora-

(1) Iob. XLII, 7.

tio, in qua ea verba leguntur, quippe qui, ut Lucas testatur, eam habuerit, *cum . . . esset plenus Spiritu sancto* (1)?

Satis quidem superque videretur quaestioni esse factum, si illud notarem, non haec dici a Luca de illa Stephani oratione, sed de aliis huius verbis, quae post illam habitam protulit. Sed, quum quaestio non ad hunc unum locum pertineat, ut plenius atque universim respondeam, distinctione ut dixi uti oportet, quum de iis quaeritur, quorum materies ideo divina pollet auctoritate, quia Deo ea probante in scripturas relata sunt, atque intelligi necesse est ad summam tantummodo rerum et materiei hanc probationem spectare, adque illa quae totius orationis aut sermonis argumentum et caput, quaeque ipsum loquentis consilium ac propositum attingunt, non autem ad ea singula, quae rei amplificandae ornandaeque gratia addita sunt. Hoc inquam discriminis est inter haec eo modo relata a bibliorum scriptoribus, interque cetera, quae ipsi proferunt, quaeque non modo quod ad rerum summam caputque argumenti, sed quod ad singula quoque vel minima certo constat divina esse auctoritate communita. Atqui, quod Iacobus in Aegyptum venerit sive cum septuaginta, sive cum septuaginta quinque capitibus, non id ad summam caputque orationis a Stephano habitae pertinebat, aut ad ipsius consilium, quod nequaquam erat Iudaeos historiarum suarum notitia instruere, sed castigare, eorumque mentes et corda si fieri potuisset Christo adiungere.

§ V *Inspirationis veritas.*

Scripturas inspiratas esse uno argumento efficiemus e scripturis ipsis deprompto. Neque verendum ne quis nos carpat, veluti qui, dialecticorum praeceptis insuper habitis, ad scripturarum auctoritatem comprobandam ab ipsa hac auctoritate argumentum ducamus; hoc enim crimen alii iam dissolvere occuparunt, Paulique verba quae argumentum suggerent, non ut scriptoris inspirati sed ut apostoli afferimus.

(1) Act. VII, 55.

Haec verba leguntur in II Tim. III, 15—17, eaque sic sunt: Ἀπο βρεφους τα ἱερα γραμματα οἰδας τα δυναμενα σε σοφισαι εἰς σωτηριαν δια πιστεως της ἐν Χριστῳ Ἰησου. πασα γραφη θεοπνευστος και ὠφελιμος προς διδασκαλιαν, προς ἐλεγχον, προς ἐπανορθωσιν, προς παιδειαν την ἐν δικαιωσυνῃ, ἱνα ἀρτιος ᾖ ὁ του θεου ἀνθρωπος, προς παν ἐργον ἀγαθον ἐξηρτισμενος. *Ab infantia sacras litteras nosti, quae te possunt instruere ad salutem, per fidem, quae est in Christo Iesu. Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Quae quidem expendere iuvat, tum ut sunt in latinis, tum ut in graecis exemplaribus.

Latinum *omnis* in his Pauli verbis vim suam eatenus dumtaxat protendit, ut consequens sit esse aliquas scripturas divinitus inspiratas; quaenam vero hae sint, num omnes aut aliquae ex illis quas biblia vocamus, ex sola huius vocabuli vi discere non est. At discere tamen certo est ex ipso nomine *scriptura* eque huius et superioris versus coniunctione atque contextu. Etenim primo alii libri non sunt neque unquam fuerunt, quibus *scriptura* nomen sit aut fuerit, nisi biblia. Deinde non est dubitandum loqui Paulum de totis illis *scripturis*, quas totas Iudaei divinitus inspiratas esse credebant. Ast hae aliae non erant neque plures pauciores-que illis quas nunc habent, nec alias habent his quas et ipsi habemus, et biblia vocamus, et divinitus inspiratas esse credimus. Ad haec Paulus his verbis demonstrat et comprobat, quod proxime dixerat, *sacras litteras* posse Timotheum *instruere ad salutem*. Nemo igitur perspicere nequit haec duo, *sacras litteras* et *scripturam*, in hoc loco esse συνωνυμα; neque est cur in hac re demonstranda immoremur. At quaenam hae *sacrae litterae*, quas Timotheus, *filius mulieris Iudaeae fidelis, patre gentili* (1), *ab infantia* nosset, nisi bibliorum volumen? Denique, quo tempore Paulus haec scribebat, tunc videlicet, quum secundo in Urbe vinctus moraba-

(1) Act. XVI, 1.

tur (1) paullo ante obitum (2), Novi quoque Testamenti libros scripturis adnumeratos fuisse compertum habemus ex altera Petri epistola, quae circa idem illud tempus scripta fuit (3), et in qua haec legimus: *Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut et in* OMNIBUS EPISTOLIS, *loquens in eis de his, in quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti, et instabiles depravant,* SICUT ET CETERAS SCRIPTURAS, *ad suam ipsorum perditionem* (4). Paulus ergo nomine *scriptura*, non Veteris solummodo sed et Novi Testamenti libros comprehendit. Atque haec de latina huius loci translatione.

Nunc de ipsis graecis Pauli verbis. Constat ἐλλειπη esse συνταξιν illius incisi πασα γραφη θεοπνευστος και ὠφελιμος προς διδασκαλιαν, supplendamque verbo ἐστι. Quocumque modo suppleas, non minor ad efficiendum quod defendimus, vis erit graecis quam latinis, longe vero maior, si recte atque ut oportet suppleas.

De graeco πασα item sentiendum ac de latino *omnis*, ut illa πασα γραφη verti non possint *tota scriptura* (*tutta la scrittura*), dici enim debuisset πασα ἡ γραφη, sed uti versum est in vulgatis exemplaribus latinis, *omnis scriptura* (*ogni scrittura*). Atqui si dictum fuisset πασα ἡ γραφη *tota scriptura* (*tutta la scrittura*), satis hoc esset, quo intelligeremus de quanam scriptura Paulus loquatur; verum, quum is dixerit πασα γραφη *omnis scriptura* (*ogni scrittura*), minime ipsa voce πασα ipsaque dicendi ratione illud definivit, quam difficultatem Chrysostomus quoque in hac Pauli enuntiatione notavit (5), vocique πασα non alia vis est, quam quae voci *omnis*, nec ulterius protenta. Sed tamen eadem de nomine γραφη dicenda sunt, quae de nomine *scriptura*. Quum

(1) II Tim. I, 8. 12. 16. 17; IV, 16. 17. Lege *Patrit.* De interpr. scriptur. sacr. L. I. n. 198.

(2) II Tim. IV, 6. 7.

(3) II Pet. I, 14. 15. Lege *Patrit.* De evangeliis L. I. c. II. n. 47.

(4) II Pet. III, 15. 16.

(5) In h. l.

igitur hae graecae voces *πασα γραφη* tantumdem valeant ac latinae *omnis scriptura*, liquet ex ipsis graecis Pauli verbis, qua demum cumque ratione horum *συνταξιν* suppleamus, posse nos eodem prorsus modo arguere, quo ex latina eorum translatione.

Ast ut aiebam longe verius ac plenius, si *συνταξις* ut debet suppleatur. Duobus id modis, prout vox *θεοπνευστος* vel *subiecti* pars est vel *praedicati*, fieri potest; nam, si primum, quod verius putavit, qui haec latine vertit, verbum *ἐστι* post ipsam ponendum erit, ante, si alterum. Utrum sit, disquiramus.

Si *subiecti* pars ea vox est, nil erit nisi adpositum nominis *γραφη*, attamen vel *διακριτικον*, vel *αἰτιωδες*. Si *διακριτικον*, verba *πασα γραφη* id valebunt, quod verba *Omnis scriptura* QUAE EST *divinitus inspirata*, sin *αἰτιωδες*, idem quod *Omnis scriptura*, UTPOTE *divinitus inspirata*. Utrumvis sit, non minus momentum erit huic Pauli testimonio ut graece sonat, quam ut latine; longe tamen gravius, si voci *θεοπνευστος* alter sensus subiectus sit. Prior enim sensus is est, ut certum ponatur esse aliquam scripturam divinitus inspiratam, sed quaenam haec, non dicitur; in altero vero non modo illud certum ponitur, sed hoc quoque, etsi non aperte dicatur, notum tamen nemini non esse, ita ut *πασα γραφη* idem valeat ac *πασα ἡ γραφη*. Hunc autem alterum sensum praeferendum, illudque *θεοπνευστος*, siquidem id *subiecti* pars sit, adpositum potius *αἰτιωδες*, quam *διακριτικον* habendum esse, facile est demonstrare. Nam de quanam scriptura Paulus loquatur, compertum fit tum ex iis, quae proxime dixerat, tum ex ipso nomine *γραφη*, cui quae notio hoc in loco subiecta sit, dubitari nequit, eaque enimvero Timotheum, qui *ab infantia sacras litteras* noverat, minime latebat; proinde locus adposito *διακριτικῳ*, quo illud declaretur ac definiatur, nec est, nec esse potest nisi *ταυτολογως*. Adparet insuper, idque iam superius animadvertimus, a Paulo his verbis rationem adferri caussamque eorum, quae proxime dixerat. At ratio haec et caussa alia non est, quam ipsa scripturarum *θεοπνευστια*. Vox igitur *θεοπνευστος αἰτιωδη δυναμιν* habeat efferatque necesse est, si modo *subiecti* pars est.

Rationes enim sunt, cur ea non *subiecti* sed *praedicati* pars esse credatur, continens cum voce *και ὠφελιμος*, proinde verbum *ἐστι* post nomen *γραφη* ante illam collocandum, ita ut sensus sit *scripturam esse inspiratam et utilem*. Etenim durior atque obscurior, siquid video, foret *ἐλλειψις* verbo *ἐστι* inter *θεοπνευστος* et *και ὠφελιμος* suppresso. Porro autem eam duriorem atque obscuriorem coniunctio *και* efficeret ante *ὠφελιμος* adhibita. Imo nullus locus huic coniunctioni esse posset. Quid enim? Vel mera ac nuda coniunctio haec foret, vel adverbium latine vertendum *etiam*. Verbo *ἐστι* ibi posito nihil esset, quocum vox *ὠφελιμος* coniungeretur; non ergo illud *και* mera coniunctio esse potest. Sed neque adverbium significans *etiam*, quum sententia ipsa id minime ferat. Etenim hoc adverbium vel ipsam vocem *ὠφελιμος* adtingeret, vel insequentes voces *προς διδασκαλιαν* et ceteras. Non primum; quid enim haec significarent: *Omnis scriptura divinitus inspirata* EST ETIAM *utilis ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum*? Adverbio *etiam* rei, quae in ipsa enuntiatione primas veluti agit, aliquid adiungimus. Verum nonne haec illa est utilitas, quae in praecipua scripturarum laude ponitur, et quo, ut ad finem, ipsa inspiratio dirigitur? Sed neque alterum dici potest, adverbium *etiam* pertinere ad voces insequentes, ita ut sensus sit, scripturas utiles esse *ad docendum* QUOQUE, *ad arguendum, ad corripiendum*; hoc enim putare vetat illa ipsa vis adverbii *etiam*, quam diximus. Num enim alia maior potiorque scripturarum utilitas, praeter illas, quae a Paulo in hoc loco enumerantur, est aut esse potest, ut has veluti quamdam appendiculam praecipuae huic adiici credamus, idque ne huius mentione quidem iniecta? At si ad illa admodum a Paulo enumerata scripturarum utilitas pertinet, sique illis, quidquid utilitatis e scripturis percipere est, idem ipse Paulus complexus est, nonne sentis, ut illa loquendi forma quae foret adhibito adverbio *etiam*, non alia videretur, ac si quis diceret oculos utiles esse *etiam* ad videndum, aures *etiam* ad audiendum, pedes *etiam* ad ambulandum, quasi vero alia quae praeterea maior oculorum, aurium, pedumque utilitas esse aut expeti posset?

Quae quum ita sint, si illud *και* quod a latinis exemplaribus abest, adtendamus, graeca Pauli verba ita vertenda sunt: *Omnis scriptura est divinitus inspirata et utilis ad doctrinam et cetera;* omissa vero illa coniunctione, verbo *ἐστι* locus sit oportet post vocem *θεοπνευστος*, cui voci, non *διακριτικη* vis inerit, sed *αἰτιατικη*, totaque sententia ita erit reddenda, ut in latinis exemplaribus.

Ad liquidum ergo exploratum est, quamquam nomen *γραφη* articulo careat, Paulum adfirmare *omne*, hoc est *totum bibliorum volumen esse divinitus inspiratum.*

§ VI *Inspirationis termini*

Quaeritur quatenus inspiratio protendatur. Cui quaestioni non recte respondeas, nisi intelligas ad id, ut liber vere ac proprie alicuius esse dici queat, necesse non esse ut ipse hunc manu sua scribat, sed satis esse si alteri res ac sententias scribendas dictet; proinde scripturas Dei librum habendas, si divina inspiratio illos qui has scripserunt, ad eas singulasque res ac sententias quas ipsae continent, scribendas excitaverit, ſique ipsi scriptores nullam neque rem neque sententiam de suo addiderint. Has autem res sententiasque scriptor vel naturali modo scire non poterat, vel poterat quidem, non tamen sciebat, vel sciebat, non tamen, quum scriberet, de his cogitabat, vel denique etiam cogitabat. Inspirationis igitur huius, de qua loquimur, quadruplex fuit differentia. Primae locus fuerit necesse est, quum Deus, quae humanae menti impervia fuissent, scribenda suggerebat, verbi gratia, res futuras, si quae in bibliis sunt quae non ore sed scripto fuerint primo praenuntiata. Alteri, quum ea quae, etsi non ultra mentis aciem posita, scriptori tamen ignota erant atque incomperta. Tertiae, quum scriptor, quamquam ea iam nosset quae Deus suggerebat, non tamen inter scribendum cogitabat aut recordabatur. Postremae denique, quum idem ipse scriptor Deo veluti antevertebat, videbatque quae scribenda forent. His alteris duobus modis inspirati fuerunt, qui vel historias vel morales

libros conscribebant. Atque horum modorum unus aliquis necessarius simul simulque, quicumque ille sit, satis ad id est, ut liber hoc modo scriptus Dei liber sit. Id vero de postremo quoque inspirationis modo dictum esse ut quisque probe intelligat, itaque de hoc sentiendum esse cuique persuadeam, etiam atque etiam velim; nempe modum hunc inspirationis postremum satis esse caussam, cur liber et divinus, et divinitus conscriptus, et Dei liber, uno verbo, cur *scriptura* sit. Etenim tunc quoque, quum quis librum componens amanuensi res ac sententias dictat, accidit ut ea dictet, quae hic cognita iam habet, cogitatque, et scribenda esse videt; at non ideo librum eius esse, qui dictavit, negamus aut dubitamus.

Hisce positis facile iam respondere est quaestioni, quatenus inspiratio protendatur, an ad historias, quod negarunt Erasmus, Episcopius, Grotius, Clericus, quibus quidam Cornelium A lapide sed iniuriose et falso adnumerarunt, an ad ea quae abhorrent a vero, quae turpiter aut impie gesta vel dicta narrantur, adque horum similia. Haec, inquam, nullum negotium facessere iis, qui, quae disputavimus, perspecta habent, pro comperto est; quare non in his immorabimur. Leviter tamen alia quaedam adtingemus, de quibus dubitatio oboriri posset.

Sunt qui quaerant, an Deo inspirante conscripta credere oporteat ea minima, familiaria, tralaticia, ac nullius, prout videntur, momenti, quae cur in scripturas relata sint non adparet, quod genus sunt Tobiae canis cauda blandiens (1), Pauli penula (2), hospitium, quod is Philemonem sibi parare iubet (3), salutationes, quae sunt in eius epistolis, et cetera. Itaque qui negaret, non hunc equidem damnare, sed neque negare ipse illud ausim. Neque enim deest, cur illa quoque *θεοπνευστα* esse credantur. Etenim qui scripturas ita legit, ut Deum harum auctorem esse recordetur, menteque

(1) Tob. XI, 9.
(2) II Tim. IV, 13.
(3) Philem. 22.

ad hunc adsurgat, facile in eo quod de Tobiae catulo narratur, indicium deprehendit providentiae, qua Deus vel irrationalia ipsa hominis, cuius gratia ea creavit, commodis inservire iubet. Quod ad Pauli penulam documentum inde habes, ut corporis quoque ac terrenorum bonorum cura minime sit negligenda. Philemonis hospitium exemplo est hospitalitatis, illius praesertim quae priscos inter Christianos obtinebat. Salutationes vero epistolis additae eo spectabant, ut salutati ab apostolo animos ad grandiora ac generosiora praestanda sumerent, utque horum utpote tale merentium memoria sacris literis consignata superstitaret.

Illud quoque in quaestione est, an inspiratio ad ordinem quoque rerum ac temporum pertineat, ita ut nefas sit dubitare res eo ordine gestas esse, quo in biblia relatae sunt. Nonne enim, inquiunt, huius ordinis defectum veritati quae praecipua ac necessaria historiarum proprietas est, adversari pro certo constat? Admodum, si modo auctor et historiam proprie sic dictam conscribere, et eam secundum temporum ac rerum ordinem digerere sibi proposuerit. Verum nisi utrumque, multoque magis si neutrum ipsi propositum erat, maxime autem si in factis narrandis non aliud consilium fuit nisi ἐλεγκτικον aut ἠθικον, eum ut minus veracem ob ordinem neglectum traducere nefas est. Concludendum igitur est inspirationem ad rerum quoque ac temporum ordinem pertinere in illis scripturarum libris, qui historiis proprie dictis continentur, sunt autem Pentateuchi pars, Iosue, Iudices, Ruth, Reges, Paralipomena, Tobias, Iudith, Esther, Machabaei, et Actus apostolorum. Quid de evangeliis sentiendum sit, in alio loco (1) adfatim disseruimus. At enim, si Deus ipse res scriptorum mentibus suggerebat, sique scriptor, quod Papias Hierapolitanus de Marco testatur (2), quodque Augustinus de omnibus indiscriminatim evangelistis narrat (3), res literis consignabat eo ordine, quo sibi in men-

(1) De evangeliis Lib. I. c. I. nn. 22 seqq.; c. II. nn. 64 seqq.; c. III. nn. 76 seqq.; c. IV. nn. 12 seqq.; L. II. Praef. n. 8.

(2) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 39.

(3) De consensu evangel. L. II. c. 12.

tem veniebant, consequens esse illud videtur, Deum ipsum hoc ordine eas suggessisse, proinde ad hunc quoque, tametsi non hic ille sit, quo res gestae fuerunt, inspirationem protendi. Verum quisque intelligit hoc argumento effici Deum consulto ordinem rerum narrandarum pervertisse; quod inferius falsum quum sit, ratio ipsa connexi facit ut neque superius verum esse possit. Fac itaque memineris inspirationem, ut diximus, non semper scriptorum menti antevertisse, sed subinde e contrario, tunc videlicet, quum hi, quae scriberent, iam per se ipsos cogitaverant, quae quarta est inspirationis differentia. Quae igitur in scriptorum mentem, etsi non ordine, iam venerant, ea Deus scribenda his suggerebat; proinde ordinem non ipse inspirando immutabat, sed minime corrigebat, quod corrigere nihil referret, quum non proprie dictas historias dictare sibi proposuisset.

Sed illud praesertim vulgo disputatur, an verba quoque, verborum structuram, dictionem, stilum, ad summam sermonem ipsum inspiratio adtingat. Utriusque partis argumenta adferemus, aientia quidem quae refellamus, negantia quibus rem efficiamus; nobis enim pro certo est inspirationem ad verba ceteraque illa non protendi.

Itaque aiunt scripturas vocari *verbum Dei*. Nempe; sed ita ea quoque vocamus, quae maiores nostri ab apostolis non scripto sed voce tradita quum accepissent, per omnes deinceps aetates nobis transmisere, quin ideo θεοπνευστα putemus verba quibus haec enuntiantur. Profecto eum quoque alicuius *verba* referre dicimus qui sensa quidem refert, quantumvis aliis atque aliis vocibus, idque etiam quum ea scripto nequaquam excepta sunt; quid ergo si ille cuius sunt, huic scripto excipienda dictasset, isque non voce sed scripto excepta referret? Quem loquendi morem ipsis bibliorum scriptoribus fuisse nemo qui biblia legerit non habet compertum. Sic regum decreta *verbum regis* in scripturis vocantur, quamquam non modo non ipsa verba sed neque sensa rex ipse dictasse credatur, sed solum, qua de re decerni oporteret, edixisse; quid ergo si sensa ipse dictasset? Enimvero ferendus non esset, qui negare auderet Christi verba

esse, quae evangelistae alii aliis vocibus adhibitis retulerunt, quod factum est illis quoque verbis, quibus Christus eucharistiam conficiens usus fuerat. Quibus exemplis efficitur ad id, ut verba quae quis refert, cuiuspiam esse dicantur, opus non esse ut hic iisdem quibus ille, qui ea refert, vocibus usus sit, imo neque illud requiri, ut saltem sensa scripto excipienda dictaverit; non ergo est dubitandum scripturas recte ac iure *verbum Dei* vocari, quamquam is dictionem illarum scriptoribus non suggesserit. Quod si quidquam hoc argumentum quod nunc refellimus, valeret, consequeretur bibliorum translationes quarum verba θεοπνευστα esse nemo credat, *verbum Dei* haberi ac dici nequaquam posse; imo Tobias, Iudith, Ecclesiasticus, Baruch, liber primus Machabaeorum, Matthaeus, quorum ἀρχετυπα exemplaria interierunt, atque adeo alterutra Petri epistola, eaque Pauli ad Hebraeos missa, atque Apocalypsis, quippe quae aliorum, ac ipsorum auctorum, quorum sensa sunt, verbis scriptae non sine optima ratione creduntur, *verbum Dei* minime essent.

Alterum argumentum depromunt ex Ieremia, in quo haec leguntur: *Factum est verbum hoc ad Ieremiam a Domino, dicens: Tolle volumen libri, et scribes in eo omnia verba, quae locutus sum tibi . . . Vocavit ergo Ieremias Baruch filium Neriae: et scripsit Baruch ex ore Ieremiae omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum in volumine libri . . . Et interrogaverunt eum, dicentes: Indica nobis quomodo scripsisti omnes sermones istos ex ore eius. Dixit autem eis Baruch: Ex ore suo loquebatur* QUASI LEGENS *ad me omnes sermones istos: et ego scribebam in volumine atramento* (1). Non equidem video, quo pacto, qui haec urgent, sese sint extricaturi, quum his quae sunt in hoc Ieremiae capite, ea mox opponemus, quae leguntur in altero libro Machabaeorum (2). Ceterum, quod illi ut plurimum efficere valent, hoc unum est, verba inspirata Ieremiae fuisse, quum illum librum Barucho scribendum dictavit. Nil autem tale praeterea in totis bibliis

(1) Ier. XXXVI, 1. 2. 17. 18.
(2) II. Mach. II, 27,

es reperturus. Enimvero si id omnibus bibliorum scriptoribus commune fuisset, non erat cur apostoli uterentur interpretibus, qui ipsis sensa scribenda suggerentibus graecum sermonem veluti commodarent, quod tamen, ut diximus, utque Hieronymus narrat (1), ut denique ex ipsorum scriptis adparet, subinde fecere. Tum Deus Ieremiam iusserat scribere OMNIA VERBA *quae locutus* ipsi fuerat spatio duorum et viginti annorum; cui rei exsequendae humanae mentis vis, quin superna ope iuvaretur, par esse nullo modo poterat.

Proferunt denique nonnullorum patrum sententias et loquutiones, velut illud Chrysostomi: *Ne* SYLLABA *quidem praetereunda, nam omnia sunt a Spiritu sancto* (2), illudque Hieronymi: *Non adeo me hebetis fuisse cordis et tam crassae rusticitatis, . . . ut aliquid de* DOMINICIS VERBIS *aut corrigendum putaverim, aut non divinitus inspiratum* (3). Verum Chrysostomus, quum homilias diceret, oratorem agebat, et sicut orator loquebatur, illaque ipsa *syllaba* demonstrat *καθ' ὑπερβολην* haec ab eo proferri. Tum Chrysostomus haec aiebat de bibliis in graecum sermonem versis, his enim solis utebatur; proinde, si quid ex hoc loco efficeretur, illud insuper esset consequens, translationum quoque verba esse *θεοπνευστα*, quod tamen Chrysostomum vel suspicatum fuisse non facile crederem. Hieronymus loquitur de *dominicis verbis*, quo nomine non ipsas voces designat, sed ipsas scripturas, quae *verbum Dei* vocantur; idque an vere dicamus, vel hinc intelligere quisque potest, quod non *aliquod dominicum verbum*, nec *aliquod de dominicis verbis*, sed ALIQUID *de dominicis verbis* illud sit, de quo Hieronymus agit. Quin imo is adfirmat scriptoribus bibliorum proprium fuisse, atque ipsorum ingenio, indoli, educationi, generi, nationi, ac patriae adtribuendum stilum, quo biblia scripta ab eis sunt, notatque in Isaia *urbanitatem stili*, UTPOTE *viri nobilis* (4), Iere-

(1) Ad Hedib. ep. CXX al. CL. q. 11.
(2) In Genes. hom. XV. § 1; hom. XXI. § 1; hom. XLII. § 2.
(3) Ad Marcell. ep. XXVII al. CII. § 1.
(4) Praef. in Is. ex hebr.

mias vero, inquit, *sermone . . . aliis rusticior, sensibus par est*, QUIPPE *qui eodem spiritu prophetaverit* (1) ; quae ratio, cur sensibus par fuerit, qui sermone rusticior erat, nihil conficeret, si sermo aeque ac sensus Spiritui sancto esset adtribuendus; tum ita ille concludit: *Porro simplicitas sermonis* DE LOCO *ei, in quo natus est, accidit.* Ezechielis stilus *medius* ab Hieronymo dicitur (2). Notat et Pauli *cilicismos* (3), quos θεοπνευστους esse quis credat ? Ad haec ut superius diximus Hieronymus narrat nonnullis de apostolorum numero interprete opus fuisse ad scribendum, diversisque interpretibus, quibus Petrus epistolas dictavit, aliis tamen ac dictabat verbis scribendas, dissimilem harum epistolarum stilum adtribuit, Paulum autem Tito interprete usum dicit, quia *divinorum* SENSUUM *maiestatem digno* NON POTERAT *graeci eloquii explicare sermone ;* num vero Hieronymus opinatus esse credatur hosce interpretes tantisper dum scripto sensa a Petro Paulove dictata excipiebant, fuisse a Deo inspiratos, idque ita factum esse, ut sensa ei qui dictabat, verba vero ei qui scribebat, Deus inspiraret ?

Sed iam negantia ordine proferamus. Quisque scriptorum θεοπνευστων suum solius stilum, sibique proprium, et plane alium stilo ceterorum habet. Hanc vero stili discrepantiam num tamquam a fonte a Spiritu sancto repetamus ? Quidni ? dices, num huic haud licuit verba suggerere ita, ut ingenium, sermo, stilus denique scriptoris ferebat ? Tu vero quid, si negavero licuisse ? nempe inutile factu.

Sed esto, licuerit; at ratio est, cur minime factum credamus, eaque est ipsa haec rei inutilitas. Quorsum enim illud ? Num ut auctoritas lateret, quae verbis inesset a Spiritu sancto dictatis ? quandoquidem stilus proprius ipsius scriptoris suaderet credere ea a Spiritu sancto dictata non esse. Num ne scriptor verbis perperam usurpatis erraret a vero ? At necesse ne ideo fuit, ut stilum quoque scriptoris Spiritus sanctus imitaretur ac veluti simularet ?

(1) Praef. in Ierem.

(2) Praef. in Ezech.

(3) Ad Algas. ep. CXXI al. CLI. q. 10.

Adde quod, ne scriptor verbis erraret, satis superque provisum erat auxilio atque ope, qua Deus ipsi praesto erat atque adsistebat.

Aliorum tum scriptorum θεοπνευστων tum hominum, quos Veteris iuxta ac Novi Testamenti scriptores loquentes inducunt, sententias, orationes, sermones, vaticinia, aliis atque aliis verbis relata ab his legimus. Ut pauca de multis adtingam Matthaeum nominabo, qui narrans, ut apostoli Christum interrogaverint, quo ipsos ire iuberet ad pascha adparandum, hunc ita respondisse ait: *Ite in civitatem ad* QUEMDAM (1). Idem ipse Matthaeus, Marcus, et Lucas ea verba, quibus Christus eucharistiam confecit, singuli tamen aliter retulerunt. Utrum ergo hoc dices, Christum ter illa aliterque protulisse, an Christi verba nequaquam esse? Iam vero si ita haec omnia, ut referuntur, dictata scriptoribus a Spiritu sancto fuere, alia, inquam, atque immutata, dum quis huius rei caussam rationemque nos doceat, exspectamus.

Ad haec scriptor libri secundi Machabaeorum ita de opere suo loquitur: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi caussa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumpsimus* (2). Ast quinam hic tantus labor ac sudor ei, qui paucarum plagularum libellum altero vel ipsa verba sibi dictante conscribit?

Quid quod bibliorum scriptores se suaque excusant, ut ille ipse qui secundum librum Machabaeorum scripsit (3), dubitanter loquuntur, ut Ioannes (4), dubitanter res narrant, ut idem hic (5) et Lucas (6), sermonis imperitiam fatentur, ut Paulus (7), rerumque ignorantiam, ut idem hic (8), at-

(1) Matth. XXVI, 18.
(2) II Mach. II, 27
(3) II Mach. XV, 39.
(4) Io. XXI, 25.
(5) Io. II, 6; VI, 19.
(6) Act. XXV, 6.
(7) II Cor. XI, 6.
(8) I Cor. I, 16.

que adeo Salomon ipse (1)? Quid inde colligas? Nempe Spiritum sanctum utpote verba suggerentem, se suaque excusare, dubitare, imperitiam atque ignorantiam fateri. Neque id extricabis, si dicas Spiritum sanctum non de se haec esse loquutum, sed verba bibliorum scriptoribus suggessisse, quibus ipsi de se ita loquerentur; non enim ipsi de se ita loqui potuissent, si Spiritus sanctus verba quoque ipsis suggessisset, non inquam scriptor libri secundi Machabaeorum recte ac vere dixisset *sibi esse concedendum* si forte *minus digne* eam historiam digessit, nec Ioannes nos dubios fecisset, utrum *metretas binas* an *ternas* caperent hydriae adpositae nuptiis, quae Canae celebratae fuerunt, nec Lucas utrum *octo* an *decem* diebus Portius Festus Hierosolymae fuerit demoratus.

Iam pluries commemoravimus interpretes, quorum opera apostolos ad scribendum usos esse non modo Hieronymus ait, sed inspectio ipsa et comparatio eorum quae hi scripsere, aperte demonstrat. Confer exempli gratia inter se utramque Petri epistolam, item cum ceteris Pauli epistolis eam quam is ad Hebraeos scripsit, itemque Apocalypsin cum Ioannis evangelio. Ast illud quoque iam diximus, non opus apostolis fuisse interprete, si ipsis Spiritus sanctus verba suggerebat.

Quid vero biblia in alios sermones conversa ? quorum verba esse θεοπνευστα nemo, puto, contendet. Pessum itaque his ivisset, ut ita loquar, ipsarum divinitas magna ex parte. Quumque nulla unquam ecclesia, si priscam illam hierosolymitanam exceperis, ipsa Veteris Testamenti exemplaria adhibuerit, nec alia quam alio sermone descripta habeat, meliore quod ad id conditione Iudaei esse dicendi forent, quam Christiani, divinioresque si ita loqui fas est ipsorum libri quam nostri.

Denique non desunt, quos de patrum numero sententia, quam defendimus, auctores patronosque ostentare queat. Horum unus est Augustinus qui ita loquitur : *Ut enim quis-*

(1) Prov. XXX, 18. 19.

que meminerat, ut et cuique cordi erat vel brevius vel prolixius eamdem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est (1), evangelistas videlicet. Alter Hieronymus est, cuius verba huc pertinentia iam adtulimus. Origenes ait prophetas aliqua de suo scripsisse (2); num vero alia quam ipsa verba? Papias horum vetustissimus illud ipsum de Marco memoriae prodidit (3), quod Augustinus de omnibus evangelistis.

Quum tamen negamus divinam inspirationem ad scripturarum verba in universum sese porrigere, non hoc vincere volumus nulla omnino horum verborum esse θεοπνευστα. Etenim si quae vaticinia sunt, quae non primo ore prolata sed scripto edita fuere, credere est etiam verba quibus enuntiabantur, praecipua saltem, subinde inspirata fuisse. Itemque sentiendum de certis quibusdam verbis, in quibus tota sive doctrinae sive argumenti moles consistit, velut nomen Λογος *Verbum* in scriptis Ioannis, σπερματι *semini* in Gal. III, 16.

Atque haec sunt, quae de scripturis in praesenti dicere habui.

(1) De consensu evangelist. L. II. c. 12.
(2) In Num. hom. XVI. § 4.
(3) Ap. *Euseb.* H. E. L. III. c. 29.

COMMENTATIO SECUNDA

DE PECCATI ORIGINALIS PROPAGATIONE A PAULO DESCRIPTA

Paulus apostolus in epistola ad Romanos scripta peccati originalis propagationem ita enarrat Rom. V:

12 Δια τουτο ὡσπερ διὰ ἑνος ἀνθρωπου ἡ ἁμαρτια εἰς τον κοσμον εἰσηλθε, και δια της ἁμαρτιας ὁ θανατος, και οὑτως εἰς παντας ἀνθρωπους ὁ θανατος διηλθεν, ἐφ' ᾧ παντες ἡμαρτον·

13 Ἀχρι γαρ νομου ἁμαρτια ἠν ἐν κοσμῳ, ἁμαρτια δὲ οὐκ ἐλλογειται μη ὀντος νομου,

14 Ἀλλ' ἐβασιλευσεν ὁ θανατος ἀπο Ἀδαμ μεχρι Μωυσεως και ἐπι τους μη ἁμαρτησαντας ἐπι τῳ ὁμοιωματι της παραβασεως Ἀδαμ · ὁς ἐστι τυπος του μελλοντος.

12 *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt:*

13 *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset.*

14 *Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae, qui est forma futuri.*

Versus 12 quasi structuram ante omnia considerare necesse est. Periodus haec est quatuor membrorum, quorum prima duo protasin continent, dependentque ab adverbio *sicut*, altera duo ab adverbio *ita*, an vero haec contineant apodosin, infra disquiretur.

Lis est de illo ἐφ' ᾧ, quod latinus interpres ad verbum vertit *in quo*, utrum significet *in quo* Adamo, an tantumdem valeat ac *eo quod*. Id negotii enarratores scripturarum nobis facessunt, qui veriti ne non Pauli verba, quotquot in hoc loco leguntur, satis sint quibus efficiatur peccatum originale omnibus esse commune, nisi idem ipse Paulus expresse dixerit omnes homines *in Adamo peccasse*, acriter con-

tendunt istud *in quo* esse relativum, eoque Adamum significari, ac si dictum esset *in quo Adamo*. Verum quod nemo non perspicit, nisi qui nolunt, quum aegre vocum graecarum vis, tum nullo modo syntaxis illud ferret. Qui enim pronomen relativum queat ad Adamum pertinere tam longe distantem, duabus enuntiationibus in quibus ne obiter quidem hic comparet, interiectis? At nihil est cur reformidemus in eumdem sensum istud *in quo* accipere ac *eo quod*; non modo enim, hoc quoque posito, verba *omnes peccaverunt* in hoc loco nihil sonant nisi peccatum originale, idque nulla syntaxeos perversione, sed insuper multo liquidius ac plenius, quam si pronomine *in quo* ipse Adam significaretur.

Totius autem argumentationis quasi cardo in eo versatur, quod una atque eadem sit caussa cur et *peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransierit*, quae fuit cur *in hunc mundum intraret*, nimirum ille ipse actus quo Adam reus factus est, ipsum inquam Adami peccatum.

His praecognitis venimus ad ipsam Pauli sententiam enarrandam. Enarrationis autem summa duabus propositionibus continetur, quibus utrisque demonstratis et confirmatis, hunc locum nemini non pervium futurum esse sperare iuvat.

PROPOSITIO I

Priora quae sunt in v. 12, videri possent dicta esse de peccato ut vocant imitationis, id est de peccato actuali, nisi posteriora sequerentur, quae sunt in vv. 13. 14. Verum ex his posterioribus adparet priora de originali peccato dicta esse.

Duo hac propositione complectimur. Quod ad primum, aiebam *videri posse*, quae sunt in v. 12, dicta esse de peccato actuali; nam re ipsa secus est, satis quippe argumentorum vel in hoc uno versu suppetit, quibus vincamus in hoc quoque esse de peccato originali.

Etenim primo, si in alteris duobus huius versus membris esset de peccato actuali, sique his periodi apodosis contineretur, eorum, id est apodoseos sensus ita foret: Ita *omnes*,

qui similiter ac Adam adque huius exemplum peccaverunt, hoc ipso, quod similiter peccaverint, moriuntur. At si talis esset sensus apodoseos, protaseos sensus necessario hic foret: SICUT *Adam, qui primus peccavit, hoc ipso, quod primus peccaverit, primus mortuus est, videlicet morti damnatus.* Etenim quum materies apodoseos non alia esset, quam caussa cur omnes similiter atque Adam moriantur, protaseos materies nequiret alia ulla esse, nisi caussa cur ipse Adam mortuus fuerit. Verum qui haec Pauli verba vel obiter legunt, perspicuum eis fit non hanc protaseos materiem esse, sed illud quod Adam ipse caussa fuerit, cur *peccatum et per peccatum mors in hunc mundum intrarent.* Si autem haec est materies protaseos, apodoseos materies sit oportet Adamum caussam fuisse, cur *peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransirent.* Sensus igitur apodoseos, siquidem ea apodosis est, hic foret: ITA *per unum hominem peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransierunt.* Iam vero si ITA PER UNUM HOMINEM *peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransierunt*, SICUT PER UNUM HOMINEM *peccatum et per peccatum mors in hunc mundum intraverant*, quoniam *in hunc mundum intraverant per unum hominem*, ut qui caussa fuerit huius ingressus, ipsa comparationis natura ac vis efficit ut illud consequatur, quod *in omnes homines pertransierint per unum hominem*, ut qui caussa non vero exemplar dumtaxat fuerit huius transitus. Quare sic est integra Pauli argumentatio in hoc versu 12: *Ita peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransierunt, sicut in hunc mundum intraverant.* Atqui *per unum hominem in hunc mundum intraverant.* Ergo *per unum hominem in omnes homines pertransierunt.* Iam vero ita *per unum hominem in hunc mundum intraverant*, ut hic homo efficiens caussa esset huius ingressus. Ergo *ita per unum hominem in omnes homines pertransierunt*, ut hic homo, nimirum Adam, efficiens esset caussa huius transitus.

Dixi: ita ut Adam caussa esset *efficiens* huius transitus, sicut fuerat illius ingressus. Neque enim nunc quaeritur solum *per quem* hominem, sed *quomodo* per unum hominem; atque adeo ipsa comparatio, non tantum quod ad unam at-

que eamdem caussam, sed quod ad unum atque eumdem unius atque eiusdem caussae modum a Paulo proponitur. Nam adverbia *sicut* et *ita* in hac Pauli enuntiatione nequaquam idem sunt ac *eadem de caussa*. Quid enim haec enuntiatio significaret, quinam hic esset modus dicendi: *Eadem de caussa, qua per unum hominem,* quum caussa haec sit hic ipse unus homo? Sed tantumdem illa duo adverbia valent ac *eodem modo*. Sensus igitur est: Eo MODO *quo per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors,* EODEM HOC IPSO MODO *per unum hominem in omnes homines mors pertransiit.* Si Paulus primum dixisset: *Sicut peccatum in hunc mundum intravit,* deinde illud *sicut* explicuisset verbis *per unum hominem,* nulla utique esset ratio putandi adverbio *sicut* significari aliud quam ipsam caussam; ast quum dixerit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,* adparet verba *per unum hominem* non ἐξηγητικα esse sed συγκατηγορηματικα; quae si ἐξηγητικα forent, quum nihil aliud sonarent quam ipsam simpliciter caussam, consequens esset adverbio quoque *sicut* nil nisi hanc caussam significari, exsisteretque inepta illa loquutio quam dixi. Quod si comparatio est quod ad unum atque eumdem modum unius atque eiusdem caussae, quinam tandem modus hic erit nisi ipsa huius caussae ἐνεργεια atque efficacia? ut Adam videlicet *ita* caussa fuerit efficiens non autem exemplaris, cur *peccatum et per peccatum mors in omnes homines pertransirent*, sicut efficiens non autem exemplaris caussa fuerat, cur *in hunc mundum intrarent.*

Itaque versus huius duodecimi verba sic explanarem. *Sicut per unum hominem*, id est qua unius hominis, utpote caussae, efficacia, *peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum*, per hoc ipsum videlicet unius hominis peccatum, neque enim aliter nec aliunde, in hunc mundum intravit *mors*, *et ita*, eadem inquam illa ipsa illius unius hominis efficacia, proinde eodem illo actu, *et* illud ipsum peccatum *et* per illud ipsum peccatum *in omnes homines mors pertransiit.* Postremis autem verbis *in quo omnes peccaverunt,* quae Paulus continuo subiunxit, et quibus versus duodecimus con-

cluditur, manifestum est rationem afferri, cur illa eadem illius unius hominis efficacia, illoque eodem actu ac per illud ipsum huius hominis peccatum, per quod mors in hunc mundum intraverat, pertransierit haec in omnes homines. Si autem illa verba huius rei rationem exhibent, manifestum aeque est nullum alium esse aut esse posse eorum sensum, nisi commune omnibus esse illud ipsum peccatum, per quod mors in hunc mundum intraverat, et tantumdem ea verba valere ac si Paulus dixisset, illud ipsum peccatum *ita*, id est eadem illa illius unius hominis efficacia atque actione, qua in hunc mundum intraverat, in omnes homines pertransisse. Quare et illud constat recte me, totius sententiae declarandae gratia, periodi apodosin supplevisse insertis verbis ET *illud ipsum peccatum*, ET *per illud ipsum peccatum*, quum adpareat verba *in quo omnes peccaverunt* esse debere tertium e quatuor periodi membris, primumque duorum membrorum apodoseos respondens primo membro protaseos, Paulo tamen placuisse ea in periodi fine legi, utpote dictorum rationem exhibentia. Ni horum postremorum verborum sensus is esset quem dixi, Paulus dictorum rationem reddere volens dictis contradixisset, aliae adtribuens caussae, atque antea adtribuerat, mortis transitum in omnes homines; sic enim foret eius sententia: *Propter peccatum originale omnes moriuntur, eo quod moriuntur propter peccata actualia.*

Attamen nemo diffiteatur dubium videri, an altera pars versus duodecimi quae dependet ab adverbio *ita*, sit periodi apodosis; non enim liquet respondere hoc adverbium adverbio *sicut*, quo periodi protasin Paulus exorsus est. Liqueret utique, si coniunctio *et* abesset quae est ante adverbium *ita*; sed haec continentem periodi contextum, qui esse deberet, ut apodosis his verbis contineretur, interrumpere videtur atque efficere ut ea quae sequuntur, sint quidem apodosis, non tamen integrae protasi respondens, sed secundo membro dumtaxat, neque directa sed obliqua, hancque sententiam exhibeant: SICUT *per peccatum mors in hunc mundum intravit*, ITA *in omnes homines pertransiit, eo quod omnes* similiter ac Adam *peccaverunt*. Quominus autem talis foret

sententia, minime obstare fortasse videatur vis quam adverbio *sicut* esse diximus, quaque hoc adverbium significat non solum eamdem caussam sed et eumdem caussae modum; nempe *eo modo* quo Adami peccatum mortem in mundum induxit, *eodem* singulorum peccata mortem in singulos transire fecerunt.

Verum enimvero caute, quum haec ita explicas, vocem *singulos* pro voce *omnes* substituis; nam si illud Paulus dicere voluisset, vox *singulos* non autem vox *omnis* ei fuisset adhibenda, quippe quia singuli sibi unis non autem omnibus, caussa mortis peccato suo fuissent. At Paulus neutro in loco vocem ἕκαστους usurpavit, sed vocem παντας in utroque; de eo igitur loquitur quod non unicuique peculiare ac proprium est, velut peccatum actuale, sed omnibus commune. Haec duo sibi mutuo lumen adhibent, nomen *peccatum* et vox *omnes*, adeo ut etiamsi in his verbis non esset nisi secundi membri apodosis, satis tamen adpareret haec de originali non autem de actuali peccato dicta esse.

Paulus enim ait per Adami peccatum mortem in hunc mundum intrasse. Quum igitur subiicit, *ita* in omnes homines mortem pertransisse, dicere profecto vult pertransisse per Adami peccatum, neque id quoquo modo, et qualis demum cumque illius transitus caussa hoc peccatum habendum sit, sed quod efficiens caussa fuerit huius transitus, sicut fuerat illius ingressus; nam quum adverbium *sicut*, pertinens etiam ad verba *per peccatum mors*, non eamdem duntaxat caussam, sed eumdem insuper unius atque eiusdem caussae modum significet, id ipsum significet necesse est adverbium quoque *ita*, quod tamen haud fieret, si verba ad quae hoc adverbium pertinet, dicta essent de peccata actuali; significaret namque eumdem utique caussae modum sed non unius atque eiusdem caussae, quam tamen unam atque eamdem, tum cur mors in hunc mundum intraret, tum cur in omnes homines pertransiret, Paulus fuisse adseverat. Non ergo vox *omnes* idem sonare potest ac *singuli*, perinde ac ageretur de aliqua re ita singulorum propria, ut ea nemini praeter singulos foret communis, qualia essent peccata actualia singulorum.

Vicissim vero vox *omnes* illud confirmat, peccatum per quod in omnes homines mors pertransiit, esse illud ipsum non autem aliud simile illius, per quod in hunc mundum ea intraverat. Etenim si actuale peccatum esset illud, per quod in omnes homines mors pertransiit, Paulus loquutione hac sua omnibus hominibus veluti uni caussae atque in solidum, mortis transitum in omnes homines adtribuisset, poenamque singulis inflictam utpote debitam singulorum peccato, ex omnium simul hominum peccatis tamquam ex una ac solida origine repetiisset; qui tamen et vim vocis ἕκαστος adprime cognitam habebat, et hanc vocem aut huius similem καθ' ἕνα παντες, ubi opus erat, adhibebat, idque ita ut ea totam vim suam exsereret, opposita etiam subinde voce παντες. Expende Rom. XII, 5; I Cor. XII, 11; XIV, 31; Eph. V, 33; Philipp. II, 4. Non ergo nomen *peccatum*, proinde nec verbum *peccaverunt*, de actuali peccato dicta sunt, perinde ac si vox *omnes* in hac enuntiatione pro voce *singuli* esset usurpata, atque adeo nequaquam ageretur de uno atque eodem numero peccato, quod ab uno homine perpetratum omnibus omnino imputatum in universum est.

Quid vero quod ipsa haec ὑποθεσις, qua positum haberemus alteram partem versus duodecimi non totius periodi apodosin esse, confirmaret partem hanc alteram de alio quam de originali peccato dictam esse non posse? Etenim illo posito periodus interrupta atque suspensa in medio versu duodecimo veluti sisteret, quae sequuntur usque ad finem versus decimiseptimi, παρενθετα essent, in versu autem duodevicesimo, longiori hyperbato ut solet quasi remedio adhibito per coniunctionem *igitur*, ipsa protasis summatim repeteretur, eique apodosis certa subiiceretur, ut nullus dubitandi locus esset ea ipsa dici atque absolvi in versu 18, quae in v. 12 dici coeperant. Iam vero primum adtende ut in versu 18 *omnium* hominum condemnationem ab *unius delicto* tamquam ab origine Paulus aperte repetat, atque huic delicto tamquam caussae adtribuat, idque ita ab eo fiat ut hoc ipsum unius hominis delictum omnibus hominibus imputari adpareat. Neque enim dixit: *in omnium hominum condemna-*

tionem, sed: *in omnes homines in condemnationem;* quae syntaxis ἐλλειπει, verbumque desideratur. Quodnam vero hoc? Nempe non aliud quam quod est in protasi versus duodecimi, ut vel haec ipsa ὑποθεσις quam nunc sequimur, credere non suadet modo sed cogit. Nam si in v. 18 apodosis est illi protasi respondens, hoc est absolvitur periodus incepta in v. 12, verba, si quae desiderantur, quibus versus decimi octavi syntaxis suppleatur, illa ipsa sint oportet, quibus in v. 12 periodus incepta fuit. Ergo in v. 18 deest verbum *intravit* aut huius geminum. Ast quidnam intravit? quo enim intraverit, edicitur, *in omnes homines* videlicet, non tamen quid. Procul dubio illud ipsum quod in mundum intrasse dictum est in v. 12, *peccatum et per peccatum mors.* Non sola mors, non enim mors est *in condemnationem*, quum e contrario condemnatio sit in mortem. Neque solum peccatum, quum verba *in condemnationem* significent necesse est illum ipsum peccati effectum, qui in v. 12 enuntiatus est verbis *per peccatum mors.* Eadem igitur quae versus duodecimi, est protasis versus duodevicesimi, paullo quidem obscurius proposita, si ad verba spectes, certius tamen ac definitius, si ad rem ipsam, eiusque sensus sic est: *Sicut*, id est ea caussae efficacia, qua *per unius delictum in omnes homines* propagatum omnes homines *in condemnationem* mortis acti fuerunt, *ita*, id est eadem hac ipsa caussae, etsi non eiusdem, efficacia, *per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitae.* Neque enim in hoc, ut in versu 12, voces *sicut* et *ita*, etsi eamdem caussae ἐνεργειαν atque efficaciam significent, unam quoque atque eamdem significant caussam; alia enim in versus duodevicesimi protasi caussa, alia in apodosi commemoratur; at in illa sive totius periodi, sive secundi tantum membri apodosi, quae est in v. 12, quum nulla caussa nominetur, alia esse haec nequit, nisi illa quae nominata est in protasi illius ipsius versus 12. Sensum autem, quem protasi versus 18 subesse adfirmamus, porro confirmat planeque comprobat ipsa apodosis institutaque inter utriusque materiem comparatio. Sicut enim in apodosi est de unius Christi *iustitia*, ita in protasi sit oportet de unius

Adami delicto. Sicut in apodosi est de *iustificatione vitae*, ita in protasi de *condemnatione mortis* sit necesse est. Sicut ἐνεργεια atque efficacia quae inest merito iustitiae unius Christi, in omnes homines dicitur permanare, ita et ἐνεργεια atque efficacia quae inest reatui peccati unius Adami. Sicut merito ipso iustitiae Christi ut caussa efficiente iusti fieri dicimur, ita reatu ipso peccati Adami ut caussa item efficiente fieri dicimur peccatores. Sicut omnium hominum *iustificatio vitae* in apodosi Christi iustitiae ut caussae adtribuitur, ita in protasi Adami delicto ut caussae adtribuitur omnium hominum *condemnatio mortis*. Dices formalem, ut theologi vocant, iustificationis caussam qua iusti sumus, non esse ipsum meritum iustitiae Christi, sicut formalis caussa peccati originalis quo sumus peccatores, est utique ipse reatus peccati Adami; discrimen igitur inter haec aliquod intercedere. Imo non hoc unum dumtaxat. Verum quum id numquam nobis opponent ii, contra quos agimus, tum Paulus non de iis loquitur, quibus illae duae res discrepant, sed quibus similis est modus utriusque rei, de quarum altera in protasi est, de altera in apodosi; similitudo autem haec illa est, qua efficitur in protasi versus duodevicesimi, proinde et in duodecimi, loqui Paulum de peccato originali.

Ceterum neque illud de facili accipimus, vocibus *et ita* non totius periodi apodosi initium fieri. Mitto equidem illud, quod vox *et* pro voce *ita* usurpari possit, veluti quum dicimus: Sicut *Deus dilexit nos*, et *nos Deum diligere debemus*; omittenda enim fuisset ipsa vox *ita*. Neque illud urgebo quod metathesis hic fortasse sit, dictumque *et ita* pro *ita et*, voce *et* pro *etiam* usurpata, non secus ac si diceremus: Sicut *Deus dilexit nos*, ita et *nos debemus Deum diligere*. Sed illud potius contendam particulam *et* in hoc loco πλεοναζειν και παρελκειν, nullo tamen periodi nedum sententiae dispendio, eo plane modo quo dicerem: Sicut *Deus dilexit nos*, et ita *nos debemus Deum diligere*; in quibus ecquid sodes minus claret, aut non plane liquet?

Quae quum ita sint, praestitisse mihi videor quod receperam, ac demonstrasse in ipso versu 12 satis argumenta

inveniri, quibus efficitur in eo esse de peccato originali; quae prima est primae propositionis nostrae pars.

Nunc de altera huius parte; illis, inquam, quae sunt in versibus 13 et 14 effici ea, quae sunt in v. 12, dicta esse de peccato originali. Id quod una argumentatione pervincemus.

Propositio sic est. In v. 12 *omnes* peccasse dicuntur. Hoc vocabulum *omnes* accipiendum est secundum universam notionem, quae subesse ei potest. His enim verbis ratio adfertur, cur *in omnes homines mors pertransierit*, ut hoc sit enthymema: *Omnes peccaverunt*, ergo *in omnes homines mors pertransiit*. Atqui in consequente enuntiatione vox *omnes* totam vim suam exserit, quanta ea est, ut nullus omnino sit homo quem non comprehendat; ergo et in antecedente totam pariter exserere debet, ne Paulus peccasse dicatur in illam dialecticorum legem: *Latius extremas numquam conclusio sumat*, quam propositio aut adsumptio.

En tibi adsumptionem. In v. 14 Paulus positum habet esse homines, *qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, nimirum peccato actuali atque imitationis; quale esse illud quod his verbis commemoratur, adversarii nostri nequeunt non accipere, et harum enuntiationum contextus perspicue demonstrat, ut mox pervidebimus.

Complexio igitur necessario haec est: In versu 12 non agi de peccato actuali et imitationis. Animadvertas autem velim luculentissimo hoc argumento nequaquam uti posse illos, qui contendunt voces ἐφ' ᾧ *in quo* significare idem ac *in quo Adamo*, non autem, quod ipsi adfirmamus, *eo quod*. Sed iam venimus ad alteram propositionem.

PROPOSITIO II.

Posteriora quae sunt in vv. 13 et 14 recte explicari nequeunt, nisi ex prioribus quae sunt in v. 12, illud adsumatur atque positum sit, mortem esse poenam peccati.

Vidimus ut Paulus in v. 12 adfirmet omnes homines reos esse peccati originalis. Ut id confirmaret, usus est argumento ducto ut aiunt *a posteriore*, idque sic est: Ideo *in omnes*

homines mors pertransiit, in quo ἐφ' ᾧ eo quod omnes peccaverunt, hoc est, sicut demonstravimus, omnes rei sunt de peccato originali; adparet autem mortem originali huic peccato ut effectum caussae a Paulo adtribui, quo, quum effectus certissimus sit ac manifestissimus, caussam quoque certissimam esse concludat. Itaque directa Pauli argumentatio in versu 12 sic est: Omnes moriuntur; ergo omnes peccaverunt, deque originali peccato rei sunt. Qui sic argumentatur, positum habet mortem poenam esse peccato indictam. Quare et in versibus 13 et 14, quibus Paulus huius argumentationis consequentiam demonstrat, explicandis illud ipsum positum habere necesse est. Hoc autem semel posito demonstratio ratiocinationis, quae est in versibus 13 et 14, adprime claret, quae aliter nemini vel perspicacissimo pervia foret. Quod priusquam ostendo, iuvabit ipsa verba declarare.

Usque ad legem — Etiam ante legis lationem, toto illo temporis spatio, quod intercessit inter praeceptum Adamo indictum interque legem per Moysem a Deo latam.

Peccatum erat in mundo — Peccatum actuale videlicet; peccabant homines toto illo tempore non secus, ac post illud peccare perrexerunt.

Peccatum autem — Illud peccatum, de quo in hoc versu agitur; peccatum actuale, quod per illud tempus non secus ac postea homines admittebant.

Non imputabatur — Non quidem quod ad culpam sed quod ad poenam, dum homines in terra degerent, luendam; nullae erant poenae aliqua lege lata peccantibus indictae. Quem sensum his verbis subesse evincit, ac subiicere iubet ratio, quae statim subiungitur.

Cum lex non esset — Quum nulla lex esset, quae has poenas indiceret. Neque enim inter praeceptum Adamo datum interque legem per Moysen latam Deus ullam de huiusmodi poenis legem tulerat.

Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen — Etsi nulla per illud tempus, quod fuit inter Adamum et Moysen, lex lata fuisset de peccantibus morte plectendis, tamen per

totum illud tempus, non secus ac post illud, homines hac poena afficiebantur.

Etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae — Et quidem morte plectebantur ii quoque, qui Adamum peccando imitati minime fuerant, qui actuale peccatum non admiserant, id genus inquam peccatum, quod *usque ad legem erat in mundo*, quodque tamen *non imputabatur*, *cum lex non esset*, quae poenas peccatis rependeret, proinde cuius peccati poena mors esse non poterat, tum quia nulla lex hanc poenam huic peccato indixerat, tum quia hac poena ii quoque afficiebantur, qui id genus peccatum haud admiserant.

Nemo non perspicit, ut in tota hac ratiocinatione Paulus positum illud habeat, quod diximus positum esse oportere, mortem poenam esse peccato indictam, utque hoc posito tacite concludat, praeter actualia peccata singulorum hominum propria, quum haec nequaquam illa sint, propter quae homines ea poena afficiantur, esse aliquod peccatum omnibus commune de quo eadem haec ipsa poena sit constituta. En tibi totam Pauli hac super re ratiocinationem.

Aliud peccatum mente concipi nequit, nisi quod vel singulorum hominum proprium ac privum, vel omnium commune sit; illud actuale vocamus, hoc originale. Mors ergo, quippe quae peccati poena est, si non ob actualia peccata hominibus infligitur, infligi ob peccatum originale dicenda est, et necessario concludendum omnes homines originali peccato reos esse. Quo autem efficiatur mortem non ob actualia peccata infligi, duo argumenta afferuntur, alterum altero luculentius.

Primum Adami posteri, qui ante Moysen vixere, utique peccabant, (*usque ad legem enim peccatum erat in mundo*); erat igitur, de quo illi poena tenerentur. Non tamen tenebantur, (*peccatum autem non imputabatur*), nondum enim ulla lex lata fuerat, qua poenae peccantibus statutae essent (*cum lex non esset*); intellige poenas, dum homines in terra degerent, luendas. Nihilominus tunc quoque temporis homi-

nes moriebantur (*Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen*). Mors ergo poena non est de peccato actuali.

Deinde ii quoque moriuntur, qui Adamum peccando nequaquam sunt imitati (*Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*), qui actualia peccata non admiserunt. Non ergo mors poena est iis indicta, qui Adamum peccando imitarentur, non inquam poena est de peccato actuali.

Argumentationis summa haec est. Quum nullam Deus legem tulerit de illis morte mulctandis, qui actualia peccata admitterent, quumque ii quoque moriantur, qui huiusmodi peccata numquam admiserunt, efficitur mortem poenam non esse de peccato actuali. Est tamen poena peccati. Poena igitur esse nequit nisi peccati originalis. Est igitur peccatum originale.

Quod ad primum argumentum quaeret fortasse quis, cur Paulus illud proponens de ea aetate dumtaxat loquatur, quae fuit ante Moysen. Nonne enim simplicius quod volebat confecisset, si dixisset nullam esse legem a Deo latam, qua hominibus ob peccata actualia mortem irrogarit? Cur ergo Paulus illud potius, quam hoc dixit? Ut hoc ipsum probaret scilicet. Si enim ante etiam, quam Deus legem ullam ferret, homines moriebantur, necessario consequitur nullam esse legem de hominibus hac poena ob illa peccata afficiendis. Enimvero si homines mori coepissent post eum diem, quo die Deus in Sina legem primo tulit, nemo dubitasset illos hac poena adfici ob decalogi leges violatas, hoc est ob peccata actualia, eoque pertinere illud: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur* (1).

Nec gravius negotium est alteram difficultatem removere, quae alteri argumento inesse videtur. Nam argumentum hoc alterum procul dubio ad illas aetates aeque spectat, tum quae ante tum quae post Moysen fuere. Cur ergo Paulus de prioribus tantummodo loquutus est? Itaque primum animadverte hac re de qua quaeris, argumenti firmitatem ac robur

(1) Ezech. XVIII, 20.

minime infringi; nam etsi ea solum aetate, quae fuit antequam decalogus promulgaretur, mors eos quoque sustulisset, qui numquam actuale peccatum admisissent, nonne iure inferres mortem de hoc peccato poenam nequaquam esse? Si qua ergo foret illa in re difficultas, non hanc argumentum ipsum sed argumenti modus ac forma facesserent. Iam vero exploratum habemus compertumque ex omnibus Pauli epistolis eum, quum de re ipsa quam maxime, tum vix de verbis ac forma suorum argumentorum sollicitum esse. Quare hoc quoque in loco id fecisse dicendus est, quod solebat, argumentumque, luculentissimum illud quidem, paucis, quot huic indicando satis essent, perstringere contentus, ad superius argumentum adtexuit. Deinde non deerat, cur Paulus loquens de aetate illa priore, hoc de quo quaerimus, notaret. Nisi enim per illam aetatem ii quoque mortem obiissent, *qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*, tametsi nondum ullae leges de poena peccantibus irroganda latae a Deo fuissent, mortem tamen poenam esse ob peccata actualia hominibus inflictam nemo dubitasset.

Vere igitur adfirmasse mihi videor, ad ea quae sunt in versibus 13 et 14 recte intelligenda et explicanda necesse esse ex iis, quae sunt in versu 12, illud adsumere ac positum habere, mortem esse poenam peccati.

COMMENTATIO TERTIA

DE CHRISTO PANE VITAE

Quum Christus postridie eius diei, quo die proxime lacum tiberiensem quinque panibus quinque hominum millia refecit, Capharnaum reversus inque synagogam ingressus esset, atque ad ipsum ii qui de illis panibus comederant, magno numero convenissent, longiorem cum his habuit sermonem, quem Ioannes in suum evangelium retulit, Io. VI, 25—58. Eo sermone Christum loquutum de se esse, ut qui *panis vitae* sit, nemini negare aut dubitare integrum est, quum aperte nec semel haec ipse tunc protulerit: *Ego sum panis vitae.* Quid vero hac verborum immutatione voluerit significare, utrum panem quem in speciem solummodo, ut Sacramentarii contendunt, an etiam quem vere ac re ipsa comederemus, ut Catholici se firmissime credere profitentur, mihi quoque liceat disquirere, non aliis tamen argumentis, quam quae totius sermonis adtenta lectio, et duarum quibus hic constat, partium comparatio suppeditat. Quae quo facilius haberi queat, utramque partem alteram alteri compositam in hac pagina exhibuisse iuvabit.

SERMONIS EXORDIUM

25 *Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti?*

26 *Respondit eis Iesus, et dixit: Amen, amen dico vobis: quaeritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.*

27 *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus.*

28 *Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei?*

29 *Respondit Iesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.*

30 *Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi? quid operaris?*

31 *Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de caelo dedit eis manducare.*

SERMONIS ARGUMENTUM

32 *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de caelo, sed Pater meus dat vobis panem de caelo verum.*

33 *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.*

34 *Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.*

35 *Dixit autem eis Iesus: . . .*

PARS PRIMA	PARS SECUNDA

PROPOSITIO

35 ... *Ego sum panis vitae:*	48 *Ego sum panis vitae.*
	49 *Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt.*
	50 *Hic est panis de caelo descendens:*
qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet umquam.	*ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

PROPOSITIONIS EXPOLITIO

36 *Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis.*	
37 *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non eiiciam foras:*	

38 *Quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.*

39 *Haec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die.*

40 *Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

51 *Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.*

52 *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*

IUDAEORUM OBIECTATIONES

41 *Murmurabant ergo Iudaei de illo, quia dixisset: Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi,*

42 *Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos novimus patrem, et matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de caelo descendi?*

53 *Litigabant ergo Iudaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

CHRISTI RESPONSIO

43 *Respondit ergo Iesus, et dixit eis: Nolite murmurare invicem:*

44 *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:*

54 *Dixit ergo eis Iesus: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

55 *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam:*

et ego resuscitabo eum in novissimo die.

et ego resuscitabo eum in novissimo die.

RESPONSIONIS EXPLICATIO

45 *Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.*

46 *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem.*

56 *Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus.*

57 *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*

58 *Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me.*

EPILOGUS

59 *Hic est panis, qui de caelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt.*

CONCLUSIO

47 *Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam aeternam.*

Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

SERMONIS EFFECTUS

60 *Haec dixit in synagoga docens, in Capharnaum.*

61 *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire.*

62 *Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat?*

63 *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?*

64 *Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam. verba, quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.*

65 *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.*

66 *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

67 *Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: et iam non cum illo ambulabant.*

Hunc itaque Christi et Iudaeorum sermonem adtente consideremus. Christus quum ad eum ii convenissent, quos pridie prodigialiter refecerat, hos primum de eo reprehendit v. 26, quod ipsi minime fidem haberent. Hoc enim sonant illa *Non quia vidistis signa.* Signa namque huiusmodi prodigialia ab aliquo exhibita Iudaei pro certissimo indicio habebant hunc ad ipsos legatum a Deo esse, idque adparet e plurimis evangeliorum locis (1), praesertim e Ioannis evangelio (2), atque adeo ex eo quod paulo infra legimus in hoc huius evangelii capite (3). Quare quum quis haec signa minime curabat, hoc ipso infitiabatur fidem se illi habere, qui ea exhibuerat. Talem esse illorum Christi verborum sensum ea confirmant, quae sunt in v. 36. Vere autem Christum illud Iudaeis exprobrasse, mox iidem hi ipsi signum ab eo flagitantes ostenderunt.

Continuo Christus v. 27 monitum subiecit plane, ut par erat, ἀναλογον superiori reprehensioni. Iudaeis culpae verterat quod cibum pluris facerent quam fidem. Contra ergo agant hortatur; fidem non cibum quaerant. Immutatione nominis *cibi* fidem significari, non modo ea quae sit oportet, atque re ipsa est, illius reprehensionis atque huius hortationis ἀναλογια credere suadet, sed ipse sermonis contextus

(1) Matth. IX, 6; XI, 3—5; XII, 38; XVI, 1.
(2) Io. II, 18. 23; III, 2; VII, 31; IX, 16. 33.
(3) Io. VI, 30.

certiores nos facit. Etenim qui cum Christo colloquebantur, probe intellexerunt eum non de cibo proprie dicto loquutum esse, quum aiebat: *Operamini . . . cibum, . . . qui permanet in vitam aeternam* v. 27; statim enim sic eum interrogarunt: *Quid faciemus, ut operemur opera Dei?* v. 28, hoc est: Quodnam illud Dei opus, quod ipsi facere debemus? Quibus Christus aperte iam et nulla verborum immutatione respondit: *Hoc est opus Dei ut credatis in eum quem misit ille.* Proinde *cibus, . . . qui permanet in vitam aeternam*, non aliud est quam fides.

Obscuriora videntur illa verba: *Hunc enim Pater signavit Deus*; sed iis quae diximus, omni ex parte declarantur. Latinum *signavit* apertissime redditum est pro graeco ἐσφράγισεν; utrumque enim significat *signum alicui rei imprimere.* Sensus superiorum Christi verborum erat, fidem ipsi haberi oportere propter mira quae faciebat; rationem subiicit, aitque mira haec veluti notas esse, quibus Deus pater ipsum *signaverat*, ut nemini dubitare liceret ipsum a Deo missum esse.

Quum ergo Christus aperte pronuntiasset sibi esse credendum, utpote quem Deus miserit, Iudaei ab eo postularunt ut signum, hoc est miraculum aliquod ederet, quo fidem dictis suis conciliaret v. 30. At nonne pridie panes a Christo multiplicatos ipsi viderant, deque his comederant? Nempe. Intelligimus ergo quam vere, ut superius dixi, Christus illis exprobraverit, quod hoc signum nihil pensi haberent. Mentionem autem de manna v. 31 non ut de quo demum cumque miraculo illi fecerunt, sed quod editum fuerit ad faciendam fidem. Neque enim de aliquo signo utcumque edendo agebatur, sed quo compellerentur Christo credere. Significare ergo volebant fidem Moysi ipsorum maiores habuisse, eo quod ille panem his de caelo veluti deprompsisset, simulque una Christum ipsos obiurgantem refellere, quasi nihil esset, cur panes quibus pridie ipsos refecerat, obiiceret ipsis, quorum maiores Moyses pane illo caelesti saturaverat.

Talem fuisse sententiam istorum hominum signum a Christo flagitantium ipsa Christi responsio, qua totius sermonis

argumentum proposuit, magis magisque demonstrat. Is enim respondit non Moysen eis *panem de caelo* dedisse. Sed quanam de caussa aut quorsum haec Moysis mentio, quem illi non nominaverant, curve id negatur quod minime dixerant? Ideo nimirum quia is quem adfirmavimus, illorum sensus fuerat. Quo posito non est dubium respondisse Christum eadem mente inque eamdem sententiam, ac Iudaei ipsum rogaverant; porro autem ex hoc efficitur eum verbis: *Pater meus dat vobis panem de caelo verum*, et significasse patrem annuere signum flagitantibus, et quodnam signum hoc foret docuisse.

Itaque Christus signum quod poscebatur, non modo non abnuit, sed ait dari iam, atque adeo tale signum, cuius comparatione illud a Moyse exhibitum, quod obiiciebatur, nil sit nisi species opposita veritati, dari a patre re vera, quod Moyses in speciem dederat, *panem de caelo* VERUM. Vides ut Christus simul eos plane revincat, qui manna opponentes signum ab ipso pridie editum elevabant; quod iterum v. 40 ac tertio v. 59 fecit intra hunc sermonem.

Panem autem hunc *de caelo verum* non alium esse, nisi eum *qui de caelo descendit, et dat vitam mundo* v. 33. Quibus quinam designaretur Iudaeos quidem non illico intellexisse, putasseque de cibo aliquo caelesti Christum loqui, adparet ex illis quae subiecerunt v. 34, se tamen ipsum is designabat, seque esse *panem* illum *de caelo verum*, pro signo quod postulabant ipsis a Deo praebitum, aiebat, nondum distincto utrum panem re vera comedendum, an qui ἐσχηματισμένως panis ideo diceretur, quia quum *iustus ex fide vivat* (1), ea inquam ex fide quam Christo habemus, quaque hunc Deum esse credimus, ut in prima huius sermonis parte et alibi (2) dicitur, ipse quasi *panis* aut cibus est, quo sustentantur et vivunt, qui illud credunt. Confer cum his ea, quae sunt in Io. IV, 13. 14.

Argumentum igitur totius sermonis est, Christum esse *pa-*

(1) Rom. I, 17.

(2) Io. I, 4; III, 15; V, 24; XI, 25. 26; XVII, 2. 3; XX, 31.

nem de caelo verum, qui dat vitam mundo. Quod primo universe enuntiatum mox Christus in suas partes dividit, duplicem exponens rationem, qua *panis vitae* vocandus ipse atque habendus est, alteram ἐσχηματισμενην, quod qui aeternam vitam vivere optant, Christo fidem habeant, eumque Deum esse credant necesse est, alteram veram ac propriam, quod eius carne et sanguine non in speciem ac τροπικως, sed re ipsa vescimur et potamur; harum autem rationum primam in prima sermonis qui sequitur parte, alteram in altera exponit.

Priusquam vero ad has duas sermonis partes enarrandas adgredimur, duo animadvertisse iuvabit.

Primum est nomine hebraico qno *panis* signatur, non panem proprie sed omne, quo vescimur, significari, *panem* autem ut omnium ciborum communissimum; hanc propriam vocis esse significationem ipsum ἐτυμον demonstrat. Secus quidem sentiendum est de graeco deque latino *panis* nomine; quum tamen graecum latinumque pro hebraico reddita sint, eadem atque huic illis subiecta notio in hoc evangelii capite sit oportet. Itaque si versum 26 excipias, nomen *panem* toto hoc sermone in illum universalem sensum accipitur, quo cibum significat, (neque enim sive manna, sive Christus, sive huius caro panis est, tametsi cibus utique est), ita tamen ut is sensus in prima sermonis parte translatus sit, quod nemo negat, in altera vero proprius, quod quum locus erit, comprobabimus.

Alterum quod adcurate notemus ita est. Iudaei signum petierant ideo ut Christo crederent. Christus postulationi adnuit, utque vidimus, eadem mente respondit, qua Iudaei postulabant, et signum dari adfirmavit, atque adeo longe aliud et maius illo, quod Moyses ediderat, nimirum *panem de caelo verum*, se autem panem hunc esse. At si τροπικως in toto sermone *panem* sese Christus vocasset, illud consequeretur, non de alia re in toto sermone eum loquutum esse, quam de fide. Quodnam ergo illud signum? illud inquam signum quo Iudaei Christo crederent, Christo fidem haberent? Scilicet ipsa fides; unumque atque idem forent signum

et res signata. Neque dixeris maximum omnium miraculorum esse ipsum Christum; quod nemo sane in dubium revocet, sed non de miraculis quaestio tunc erat, sed de signo, de miraculo videlicet, quo homines Christum agnoscerent, quale signum ipse Christus esse non poterat. Ex his autem colligimus, quum Christus post enuntiatum totius sermonis argumentum, quod est, ipsum Christum *panem* esse, *qui de caelo descendit*, continuo rationem exposuerit, qua ipse est hic *panis vitae*, eaque sit, quod qui ipsi credunt, aeternum victuri sint, necesse esse alteram post hanc sequi sermonis partem, qua ille de se loquatur utique ut de *pane vitae*, sed qui sit signum illud, quod et Iudaei postulaverant, et ipse dari adfirmaverat, quoque sibi fidem conciliet. Sed iam ad primam partem veniamus.

Christus totius sermonis argumentum proponens vv. 32 et 33, etsi de se loqueretur, non tamen se nominaverat, proinde nec Iudaei cum de se loqui, qualisque foret ille panis, quem dixerat dari ipsis a patre, intellexerunt v. 34. Nunc itaque primam sermonis partem exordiens ait se hunc panem esse: *Ego sum panis vitae* v. 35. Cur sit, rationem addit, ex qua adparet nomen *panem* in hac prima sermonis parte in sensum translatum usurpari, eaque est quod fides Christo habita id in animis efficiat, quod cibus in corpore: *Qui venit ad me, non esuriet: et qui credit in me, non sitiet umquam.* Sententiarum parallelismus nos docet non aliud esse *venire ad Christum*, quam *credere in Christum*. Imo id Christus ipse nos docuit, quum post sermonem absolutum discipulis denuntiavit vel inter ipsos reperiri, qui sibi minime crederet vv. 65. 66. Id denique confirmat comparatio eorum quae sunt in vv. 37. 39. 40, de quibus paulo post. Atque haec est primae partis propositio.

Sequitur propositionis expolitio et confirmatio. Verbis quae in v. 36 leguntur, Christus clarius repetiit illud quod initio sermonis v. 26 exprobraverat iis, qui ad se convenerant, et quibus cum loquebatur. Coniunctio *quia* est pro graeco ὅτι *quod*. Verbum *vidistis* habet ἑμφασιν; idemque sonat ac *vidistis me mira patrantem, vidistis ea e quibus, qui*

sim, agnosceretis; hancque huic verbo vim esse argumento sunt illa: *ut omnis, qui* VIDET *Filium, et* CREDIT *in eum, habeat vitam aeternam* v. 40, eo fere sensu, quo quum aliquem fidem nobis habere iubemus, dicere solemus: *Me vide*, hoc est: *Vide qui sim.* In loco autem Christus reprehensionem iteravit, quo tacite inferret concluderetque illos, utpote qui vidissent quinam ipse esset, nec tamen ei crederent, neque iis bonis fruituros, quae ex fide percipi proxime dixerat v. 35. Id quod mox contrario confirmat.

Etenim subiicit fore, ut his bonis fruatur *omnis, qui videt Filium, et credit in eum*, quae est materies versuum 37-40. Horum sententia perspicua est, sed quo magis magisque clareat, veluti opem praebet collatio versuum 37, 44, 45, et 66. In versu 37 haec sunt: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet*, in v. 44: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater . . . traxerit eum*, in v. 45: *Omnis qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*, in v. 66: *Dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.* Non aliud esse *venire ad Christum*, quam *credere in Christum*, iam diximus. E verbis *Dixi vobis* v. 66 intelligimus repeti a Christo in hoc versu ea, quae dixerat in v. 44; proinde illa: *nisi Pater traxerit eum*, quae sunt in v. 44, idem prorsus sonant atque illa: *nisi fuerit ei datum a Patre meo*, quae sunt in v. 66. neque aliter illa: *qui audivit a Patre, et didicit*, quae in v. 45, his enim Christus explicuit, quid sit *trahi a Patre*; sequitur his ἀναλογον esse oportere sensum verborum *quod dat mihi Pater*, quae sunt in v. 37, ita ut unus atque idem eademque conditione sit is, sive *cui datum est a Patre*, sive *quem trahit Pater*, sive *qui audivit a Patre, et didicit*, sive *quem Christo dat Pater.* Itaque sententia versus 37, utpote qua Christus contrarium eius, quod proxime dixerat, exorditur, haec est: *Omne, quod dat mihi Pater, quod Pater traxerit, qui audivit a Patre, et didicit, cui fuerit datum a Patre* ut in me credat, *venit ad me*, hoc est, in me credit; *eum* vero, *qui venit ad me*, qui in me credit, *non eiiciam foras*, hoc est, ut mox explicat, *non perdam ex eo* v. 39, non patiar ire perditum, sed contra *habeat*

vitam aeternam v. 40, fruatur videlicet iis bonis, quae ex fide percipi Christus in ipsa propositione v. 35 adfirmaverat, et quibus proxime dixerat v. 36 illos haud fruituros, qui hac fide praediti non sunt, qui minime credunt. Conf. Io. XVII, 2. 3. 12.

Quo promissioni fidem conciliet, argumentum adfert, aitque se de caelo descendisse ut patris voluntati obtemperaret, quaeque is vellet, exsequeretur v. 38, patrem autem velle, ut qui credunt, fidei fructus percipiant vv. 39. 40. Notanda est versuum 39 et 40 similitudo, eaque plenior in graeco exemplari, quam in latina translatione. Utrique enim versui idem est exordium, utrique eadem conclusio, in utroque eadem de re Christus loquitur, quos enim *Pater dedit* Christo, hi sunt *qui vident Filium, et credunt in eum.* Christus in propositione, quam nunc confirmat, haec dixerat: *Omne quod dat mihi Pater, venit ad me*, id est, credit in me; ut non alii sint, qui Christo dantur a patre, ac qui in Christum credunt. Licet tamen eos hac duplici ratione considerare, atque adeo Christus ipse considerat, ut eadem de his secundum utramque rationem pronuntians την ταυτοτην evidentiorem efficiat. Neque animadvertere omittas, ut Christus hanc propositionis expolitionem concludens rem totam, quod fieri par erat, apertioribus quam antea ac maxime propriis verbis edicat: *Qui . . . credit in eum, habeat vitam aeternam* v. 40. Ne vero quis putaret id ita futurum ut ii quibus id boni contingeret, non essent morituri, addidit illa: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die.*

Iudaei, ut Christus illa verba protulerat: *Panis enim Dei est, qui de caelo descendit, et dat vitam mundo* v. 33, quum minime intellexissent hunc de se ipso loqui, avide eum rogarunt ut ipsis panem hunc semper porrigeret v. 34. Verum ubi ille se hunc panem esse adfirmavit, aperteque exposuit quid de se credere oporteret, et quosnam inde fructus percepturi essent qui id crederent, secus se res habuit. Murmurare enim coeperunt et Christo succensere v. 41, nec vero de eo quod se panem esse, sed quod de caelo descendisse diceret v. 42. Probe igitur Christi sensum verborum intellexerant.

Id quod e Christi responsione adparet manifesto. Neque enim illos arguit, quae dixerat, non esse adsequutos, sed ne propter ea murmurarent hortatur v. 43, porro autem haec eadem confirmat caussam illos docens, cur ea ipsis creditu difficilia viderentur v. 44. Tum responsum concludit promissionem repetens, qua superiora concluserat.

Quid sit *trahi a Patre* iam diximus, nimirum ut Christus mox explicuit, idem ac *audire a Patre et discere* v. 45, ita ut illud haec duo complectatur, utraque autem, et illud et haec apertius declarantur in v. 66 per verba *dari a Patre*, e quibus discimus haec omnia ad divinam gratiam pertinere. Fides quippe Dei *donum* est, quod uni acceptum referamus divinae gratiae. Ille *audit a Patre*, quem Deus per hanc gratiam vocat, ille *discit*, qui Dei voce audita vocanti obtemperat; utrumque requiritur, sed utrumque Dei donum est, quippe qui *trahit*, hoc est utrumque efficit ut *audiamus* et ut *discamus*; qui *audiunt* et *discunt* hi sunt διδακτοι θεου *docibiles Dei*.

Ne haec Iudaei, pinguiore mente ac sensu gens, perperam intelligerent, ac sensili modo fieri putarent, prospectum a Christo fuit iis, quae sunt in v. 46.

Denique responsionem primamque sermonis partem Christus concludit, aperte, ut in conclusione fieri par erat, et nulla iam verborum immutatione adseverans fore ut *qui credit in ipsum, habeat vitam aeternam* v. 47. Hoc ipso autem quod in his postremis verbis nulla metaphora sit, nulla ambiguitas, ut in prioribus, sed proprie perspicueque ac manifeste res ut est enuntietur, statim vero post haec Christus denuo se *panem esse* adfirmat, certo efficitur hanc esse dictorum conclusionem, proinde partem totius sermonis ea absolvi, atque ideo totum sermonem duabus constare partibus.

Nullam habet quaestionem illud, quod Christus de fide ipsi habenda colloquutus cum Iudaeis fuerit. At si hos de eucharistia, quam erat institurus docere volebat, quorsum is veluti prologus? quorsum haec de fide disputatio? Enimvero huius rei caussa liquet atque in promptu est; quia vi-

delicet nullum inter mysteria, quae Deo revelanti credimus, arduum magis et cui humana mens difficilius adsensum praebere valeat quam eucharistia. In ceteris enim credendis, tametsi ea mentis aciem infinite superent, sensus tamen nostri veluti tacent, neque, quominus ea credamus, repugnant, at de eucharistia contra dicunt; in illis credimus quae non videmus, in his contrarium eius quod videmus. Erat igitur cur Christus antequam cum Iudaeis, cum Iudaeis inquam, de eucharistia loqueretur, fidei necessitatem horum animis omni ope inculcaret. Si dubites eam huius rei caussam esse, quam dixi, lege versum 66, ac Christus ipse hanc tibi eximet dubitationem. Atque hactenus de prima huius sermonis parte.

Iam de altera. Hanc Christus iisdem verbis ac priorem exorditur, ita ut eadem huius atqui illius sit propositio, si modo ad verba solummodo spectes, secus vero si ad sensum v. 48. In priore enim parte nomen *panis* τροπικως usurpatum ab eo fuerat, sed in hac altera in proprium sensum, qui *cibus* est, accipitur. In illa *panem* se adpellaverat, eo quod fides ipsi habita id animae praestet, quod cibus corpori; in hac vero, quia vere ac re ipsa eius carnem edimus et sanguinem bibimus, quae altera ratio est illius adpellationis. Hoc autem demonstrare argumenti disputationi huic nostrae propositi caput est.

Itaque Christus prima sermonis parte iam absoluta, huiusque conclusione propriis atque apertis verbis enuntiata, de se adhuc dicturus rursus *panis* adpellationem usurpat, cuius ratio ac significatio si eadem esset quae prius, item sicut prius nomen panis foret immutatum, quum in propositione v. 48, tum in tota hac altera sermonis parte; sequeretur autem Christum, perfecto et concluso se *panem vitae* esse, atque hac verbi immutatione apertissime explicata, quum vel rem confirmare ac magis magisque declarare, vel dicendi finem facere oporteret, vel certe ad alia transire, ad priorem illam translationem regressum esse, hancque maxima ambiguitate, quae antea nulla fuerat, involutam implexamque non breviore quam prius oratione proposuisse. Quorsum vero, nemo coniecerit. Enimvero non ideo ut rem ex-

plicaret; ecquis enim rem quam apertissime iam explicuerit, plenius declarare se posse speret, propriis translata substituens, atque adeo eadem illa ipsa translata, quae propriis iam explicuerat, eaque longe magis ambigua atque immutata? Necesse igitur est aliam in hac altera sermonis parte esse adpellationis *panis* rationem aliamque significationem. Hanc vero si translatam esse contendas, quaenam demum ea erit? Equidem ut eam me doceant, quae alia sit ac illa prior, omnem Sacramentariorum gregem provocare minime dubitem. Si igitur haec adpellatio nequit translata esse, in proprium sensum accipienda est, sique in proprium sensum, iam ad liquidum exploratum est Christum iis quae sequuntur, de se agere ut de cibo vere ac proprie dicto, id est quo non τροπικως atque in speciem, sed re vera pascimur et potamur. Sed plurima alia sunt, quibus id magis ac magis confirmemus.

Iudaei a Christo signum postulaverant, quo is sibi fidem conciliaret, obiecerantque panem illum caelestem ipsorum maioribus a Moyse suppeditatum; in cuius mentionem ut isti devenirent, non sine numine accidisse putandum est, quo peropportuna Christo huius sermonis occasio oblata esset. Christus postulantibus adnuerat, addens, signum quod postulabant, esse *panem de caelo verum*, qualem non illum fuisse, quem Moyses ipsorum patribus, sed quem Deus ipsis praebebat vv. 32. 33. In prima sermonis parte de hoc signo nec erat, nec sicut ostendimus esse poterat. De eo igitur in hac altera sit oportet, inque hac Christus de *pane vitae* egerit ut de signo illo, quod adnuerat dari a patre. De hoc autem utique egisse, nemo qui paullo adtentius eius verba consideret, potest non perspicere. Etenim alteram argumenti sententiam pertractaturus alteramque propositionem proxime enuntiatam explicaturus, ut id perficiat, rationem adfert cur in ipsa universi argumenti enuntiatione dixerit *panem de caelo verum* non illum esse, quem Moyses dederat, sed quem Deus nunc praebet, eaque est quod prisci illi Israelitae, qui illum comederant, mortem obierint v. 49, qui vero hunc manducaverit, eum mortem nequaquam esse obiturum v. 50.

Haec inquam caussa est et ratio cur ipse Christus sit *panis vitae*, *panis de caelo verus*, et cur *panis de caelo verus* non ille fuerit, qui olim a Moyse sed qui nunc a Deo praebetur; id quod voces *Hic est* ἐμφατικως significant. Quibus positis, quum illis verbis quae sunt in totius argumenti enuntiatione: *Non Moyses dedit et cetera*, sicut demonstravimus, Christus signum quod pater daret, indicaverit, quumque universalem illam enuntiationem in duas partes tribuerit, quum denique primam partem exponens nihil de signo dixerit, concludamus necesse est de hoc eum loquutum esse in altera parte, iisque verbis quae sunt in vv. 48—50, quaeque modo explanamus. *Panis* ergo *vitae*, de quo Christus nunc loquitur, illud signum est. Atqui esse nequiret, si nomini eadem illa translata significatio subesset, quae prius; alia ergo subest. Si alia, non ergo translata, sed propria.

Sed hanc alteram sermonis partem enarrantes iuvat eam per singula cum priore conferre; utraeque enim quum eadem forma sint eodemque ordine digestae, ita ut singula unius alterius, singulis plane respondeant, quod totius sermonis συνοψις superius a me exhibita liquido commonstrat, facile est ex altera in alteram derivare lumen, quod mutuo sibi adhibent.

Itaque propositioni quae eadem in utraque, etsi non eodem sensu est, explicatio in utraque continuo subiicitur, in prima quidem verbo *credere*, in altera verbo *manducare* v. 50; ast illo in proprium sensum accepto, ergo et hoc quoque.

Notare autem est quam parce illa nominis *panis* immutatione in prima parte, quamque aliter ac in secunda, hoc nomine Christus sit usus. Ut enim rem ea immutatione semel adhibita enuntiavit, iam non ultra panis aut cibi mentionem iniecit, nedum vel semel verbum *manducare* aut *bibere* vel horum simile usurpaverit; sed de una fide variis dicendi formis iisque propriis, deque fidei fructibus loquutus est. E contrario in secunda parte ne mentio quidem ulla de fide, neque verbum *credere* unquam legitur aut ullum e ceteris ad huius paraphrasin in prima parte usurpatis; vix vero tres numeres versus, in quibus verbum *manducare* non

compareat; in his tamen tribus et *panis* et *cibus* et *potus* nominantur, aeque ac in ceteris plerisque una cum verbis *manducare* et *bibere*.

Quam rem si paullo adtentius consideraveris magnum pondus accedere senties argumento, quod superius urgebam, quod inquam si nomen *panis* adhuc translatum esset, proinde illa quoque alia vocabula, nil haec altera sermonis pars foret, nisi quaedam prioris ταυτολογια tota metaphoris constans, quam eo minus exspectasses, quo ineptius verbis propriis, apertis et perspicuis, qualia in prima parte sunt, aut qualibus certe ea concluditur, verba immutata atque translata, veluti declarationis ergo, subiicerentur.

In versibus 51 et 52 manifesta est superioris propositionis expolitio. Se *panem vitae* esse Christus pronuntiaverat, huncque, non autem quem Moyses dederat, esse *panem de caelo descendentem*, atque utriusque rei rationem addiderat. Nunc rem utramque unica, proinde perspicuiore enuntiatione complectitur v. 51, illamque rationem clarius exponit, verba *vivet in aeternum* substituens verbis *non moriatur*.

Compara hanc secundae partis expolitionem cum primae. In illa Christus se de caelo descendisse ait, at *panem* se non adpellat; in hac, se *panem* esse, *qui de caelo descendit*. Illam concludit promittens fore, ut *qui . . . credit in eum*, HABEAT VITAM AETERNAM; hanc: *Si quis manducaverit ex hoc pane*, VIVET IN AETERNUM, idem nimirum promittens sed alia sub conditione. Quod in illa promiserat, fieri poterat ut quis perperam intelligeret, propterea que explicationem subiecit; quod in hac non item, utpote re iam explicata, idcirco nullam rei promissae, conditionis tamen sub qua promittit, imo totius materiei declarationem addidit illis verbis: *et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*.

Sed in haec postrema verba sedulo consideratio est intendenda; ab his enim rei summa dependet. Patet addita a Christo haec fuisse ut Iudaei recte perciperent, quid foret panis, de quo tunc ipse loquebatur, aliamque huius nominis esse significationem ac illa, quae fuerat in prima sermonis parte, quamque iam explicuerat. Aliam autem esse hinc quoque

intelligimus, quod Christus agebat de re adhuc futura: *Panis, quem ego* DABO, hic panis dandus adhuc erat, nondum datus erat; non ergo ipse Christus hoc nomine, ut is *in quem credere* oportet, signatur, quae est illa prior significatio. Certe quidem in enuntiatione universi argumenti v. 32, in qua panis Christum ut a patre datum significat, praesens verbi tempus is usurpavit: *Pater meus* DAT *vobis panem de caelo verum.* Si ergo nomine *pane* aliud ac antea significatur, quid tandem illud? Nempe id quod Christus ipse nos docuit his postremis verbis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est;* Christi carnem inquam hoc nomen signat. Primum igitur hemistichium versus 52: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum,* Christus ipse nos iubet ita interpretari: *Si quis manducaverit meam carnem, vivet in aeternum.* Verum τροπικως ne an proprie? Id enimvero adeuratius est disquirendum.

Iam illud notavimus quod neque Sacramentarii aliam nominis *panis* immutationem huic loco non ineptam valeant excogitare praeter illam quae superius fuit, quaeque si nequeat in hoc quoque loco esse, iam nulla erit, sed in proprium sensum, quo *cibum* significat, hoc nomen erit accipiendum. Atqui illam esse non posse, facile est demonstrare. Etenim quum verba de quibus modo disputamus, sint orationis conclusio, imo totius conclusionis explicatio, omnia in ea et quidem plenius quam in superioribus, clareant ac liqueant necesse est; quod is qui loquebatur, praestare sane noverat ac poterat. Clarere autem haec et liquere, siquidem Christus de eo quod contendimus loquitur, nemo non plane perspicit; verum Christum ea de re loqui, quum ex his ipsis verbis effici in me receperim, nondum quidem licet positum habere, aliaque via ad hanc complexionem est deveniendum, nemo tamen illud negaverit, quod aiebam, in orationis conclusione perspicuitatem desiderari ac deberi non posse. Atqui si in hac secunda sermonis parte, proinde et in ea conclusione, vox *panis* esset immutata, contra fieret ac debet, longeque magis ambigua atque obscura conclusio evaderet, quam tota oratio, atque huic illa non lumen sed obscuri-

tatem obfunderet. Etenim ut nunc ὑποθεσις est, illi metaphorae eadem in hac secunda parte significatio subesset ac in prima. Quid in prima ea significet, Christus ibidem iam exposuerat. Quare quid sonarent illa *Ego sum panis vitae*, *Hic est panis de caelo descendens*, *Ego sum panis vivus*, quae sunt in secunda parte, ex priore interpretatione forent explicanda. In illis: *Si quis manducaverit ex hoc pane* v. 52 nova quidem esset metaphora verbi *manducare*, sed analoga congruensque nomini *pani*, proinde non difficili intellectu. Itaque haec omnia ita concipe et considera ac si dicta essent de Christo ut de eo, *in quem credere* oportet. Incommode quidem dicta esse senties illis de caussis quas superius vidimus, non tamen obscure. Lege modo conclusionem illam qua superiora Christus explicat, et omnia veluti tenebris offundi videbuntur, Christi carne in ipsius Christi locum substituta; videlicet *panis* qui huc usque erat ipse Christus, ut is, *in quem credere* iubebamur, iam non Christus sed Christi *caro* est, quam ipse daturus erat *pro mundi vita*. Ne ergo Christus adeo inconcinne atque ab re loquutus esse dicatur, postrema verba versus 52 in proprium sensum accipere necesse est, atque ad hunc exigere, quae in hac altera sermonis parte est, nominis *panis* significationem. Denique quum nulla ratio erat, cur Christus, quae de fide sibi habenda, ipse docere Iudaeosque discere volebat, huiusmodi metaphoris involveret atque implicaret, imo erat ne faceret, tum quam sodes inconcinna, quam inepta, qua id quod volebat, exsequeretur, immutatio illa *carnis manducandae* et *sanguinis bibendi!*

Quemadmodum Iudaei superius non ante in murmura proruperunt, quam Christus aperte diceret se de caelo descendisse, item nunc accidit. Dum Christus alteram rationem exponens, qua *panis vitae* ipse est, *panem* se simpliciter adpellabat, vel *ex hoc pane* manducandum esse aiebat ad aeternam vitam vivendam, Iudaei haec audientes siluerunt, eum τροπικως, sicut in superioris sermonis initio, loqui opinati, quum nondum satis adpareret, quinam huius adpellationis sensus esset. Verum ut Christus conclusit panem de quo

loquebatur, carnem suam esse, tum vero murmura litesque sunt excitatae v. 53. Non ergo iis qui haec audierunt, ulla oborta est dubitatio quin Christi verba in proprium sensum essent accipienda.

Quid porro Christus? Num homines ut alias redarguit, quod quae dixerat non essent adsequuti? num ad verum intellectum corrigit? num haec aliter interpretanda, num immutata esse docet? num metaphoram explicat? quod quidem certe fieri oportebat ne illi tam gravi errore teneri pergerent. Imo longe secus; quique alteram argumenti sententiam proponens eamque expoliens semper vocem *panem* adhibuerat, numquam vocem *carnem*, nisi (fieri enim necesse erat), in conclusione, iam Iudaeis contra dicentibus atque adsentiri recusantibus respondens, tunc nimirum, quum verum ac proprium dictorum sensum ulterius debere non poterat quin clare atque aperte enuntiaret, metaphoris procul amandatis, ipse e contrario non ultra *panem* se vocat, sed *carnem suam manducandam*, imo hoc amplius *sanguinem suum bibendum*, neque id semel sed, quod prorsus abnorme est atque absurdum in usurpatione metaphorarum, iterum, tertio, quarto repetit atque inculcat, exceptis epilogo et conclusione, in quibus cur *panem* se rursus adpellaverit, manifestam esse caussam commonstrabimus.

Itaque non est dubitandum eos quibus cum Christus colloquebatur, huius sententiam, sicut in prima sermonis parte tenuerant, in hac quoque altera recte tenuisse, quum nunc aeque ac prius talem intellectum Christus in eorum mentibus confirmaverit.

De modo Iudaei disceptabant quo Christus, quae pollicebatur, praestare posset. Is vero ut fieri mos est, quum de rei modo quis interrogat, ubi de ipsa re est cogitandum, hoc eos oblique monet ita respondens, ut non id quod quaerebant, sed necessitatem discant vescendi carne et sanguine suo, ac primo negat aliter fieri posse ut ipsi vitam vivant v. 54, deinde ait fore ut, si faciant, aeternam vitam adipiscantur v. 55. Neque ταυτολογως contrariorum negantiae affirmatio addita, tum quia res utpote creditu ardua id fla-

gitabat, tum quia de carne deque sanguine expressius illud adfirmare opus erat, quod de *pane* universe atque ita dictum fuerat, ut suspicari liceret Christum τροπικως adhuc loqui. Rationem autem cur is, ut superius v. 40 fecerat, addiderit illa: *et ego resuscitabo eum in novissimo die* v. 55, eamdem ac superius esse manifestum est. Nota illud, ut eadem promissione iisdem verbis repetita in hac, ut in prima sermonis parte v. 44 Christus responsionem concluserit.

Sequitur responsionis explicatio. Nam rei necessitate exposita, datoque Iudaeis responso, quale ipsorum interrogatio merebatur, ipsa illa, quam dixi, huius rei credendae quasi arduitas, maxime autem metaphorarum suspicio procul amandanda postulabat ut Christus responsum suum ratione proposita plenius declararet, neque omnino praetereundum illud erat quod Iudaei interrogaverant, quomodo Christus promissa praestare quiret. Utrumque igitur is exsequitur.

Ac primo demonstrat nullam iis quae dicebat metaphoram subesse v. 56. Siquidem autem id demonstrare volebat, nimis vellem edicerent Sacramentarii, num loqui apertius is quiverit atque clarioribus uti verbis, quam illis: *Caro mea* VERE *est cibus, et sanguis meus* VERE *est potus.* Quid autem illud *vere* idque repetitum? nonne procul a vero, nonne mendax, nonne ad fallendum peropportunum, nisi Christi caro et sanguis non τροπικως sed ex vero cibus ac potus sint proprie dicti?

Christus postquam verbis: *Panis, quem ego dabo, caro mea est* v. 52, quid ille *panis* esset explicuerat, qua ex explicatione lites excitatae fuerunt, disceptantibus respondens inculcare institit necessitatem carnis suae comedendae et sanguinis potandi ad id, ut vitam quam pollicebatur, consequeremur, rationemque adiecit, quod *caro* sua *vere* sit *cibus, et sanguis* suus *vere* sit *potus.* Iam si vox *panis* esset immutata, sensus illius versus 52 hic foret: *Panis significat carnem meam.* Quum autem hunc sensum Iudaei haud essent adsequuti, Christus ut diximus metaphoram plenius et clarius explicare debuisset. Attamen contra fecisset; atque illam enuntiationem: *Panis, quem ego dabo, caro mea est*, qua

dicitur *panem* non aliud esse quam Christi carnem, quae-que satis apta huius metaphorae explicatio esse potuisset, in hanc alteram convertens: *Caro mea vere est cibus*, qua illud de eius carne adfirmatur, quod cibus ea sit, addito insuper adverbio *vere*, tropi explicationem quae foret in priore enuntiatione quodammodo destruxisset, effecissetque magis ac magis, ut quae translata essent, in proprium sensum accipienda viderentur.

Etenim quum tropum explicamus, id est quum dicimus quid illud sit, quod alicuius vocabuli immutatione a nobis significatur, ipsa notio immutata *subiectum* enuntiationis est, *praedicatum* autem res, ad quam significandam illa immutata est. Nomen *panis* verbi gratia si in eum sensum sumatur, quem latine habet, Christi carnem significare non poteris nisi τροπικως, quum caro non sit panis, quamquam sit cibus; proinde illa propositio: *Panis caro mea est*, in qua *panis subiectum* est, *caro praedicatum*, foret utique apta huius tropi explicatio. Quod si contra res significata propositionis *subiectum* sit, notio translata *praedicatum*, tali enuntiatione non tropus explicaretur, sed continuaretur ac confirmaretur, perque opportuna ea foret ad id, ut sensum translatum pro vero ac proprio obtruderemus. Huiusmodi autem, siquidem Christi carne non vere ac re ipsa, sed in speciem aut τροπικως vesceremur, esset illa propositio: *Caro mea vere est cibus*, iis praesertim rerum adiunctis quae notavimus, quaeque tunc erant, quum Christus eam protulit, quae denique flagitassent ut is omnino secus loqueretur.

Metaphorarum suspicione remota, modum deinde Christus ostendit, tum quo fieret ut qui ipsius carne et sanguine vescerentur et potarentur, vitam illam quam his promiserat, essent adepturi, tum *quomodo* posset *hic nobis carnem suam dare ad manducandum*.

De horum primo est in v. 57. Quid mutua illa mansio sit quam ibi dicit, ipse alibi (1) nos docuit; virtus videlicet illa divina, quae hominem Deo coniungit ac veluti co-

(1) Io. XIV, 20—23; XV, 4—7 coll. 9. 10; XVII, 26.

pulat, caritas inquam. Hanc qui habent, hi veram vitam et nunc vivunt, et aeternum victuri sunt, vita enim haec non aliud est quam ipsa caritas. Hanc autem ii servant, qui caelesti illo cibo nutriuntur.

De altero ac rursus de primo est in v. 58. Quod Iudaei interrogabant, Christus ut dixi directa responsione haud dignavit. Revinci tamen fidem abnuentes oportebat. Quibus Ioannis evangelium de facie saltem ut ita dicam ignotum non est, non eos fugit, quam usitatum Christo esset ad fidem dictis suis conciliandam illud urgere, quod ipse a Deo missus esset, adeo ut in sermonibus qui in hoc evangelio leguntur, huius rei quadragies fere meminerit. Itaque hoc ipso argumento oblique tamen, quod etiam saepe facere solebat, usus est quo Iudaeos doceret posse se, quae pollicebatur, praestare. Atque haec fortasse caussa fuit cur missionis huius mentionem fecerit propositione directa, tametsi adverbium *sicut*, non ad verbum *misit* sed ad participium *vivens* refertur, non enim *missio* cum *vita* comparatur, cuius comparationis vim ac sensum vix ullum colligeres, sed *vita* cum *vita*, ac si dictum esset: *Sicut Pater* qui *misit me*, *vivens* est, *et* sicut *ego*, hoc ipso quod a Patre missus sum, *vivo*, idque *propter Patrem* δια τον πατερα per Patrem, ita *et qui manducat me*, hoc ipso quod me manducat, *vivet*, idque *propter me*, δι' ἐμε per me, non secus ac *per fruges* ii vivere dicuntur, qui frugibus sese nutriunt. Habes in Io. v. 36 unde in horum προτασιν lumen derives. Ceterum, ut proxime superioribus verbis v. 57 Christus formam nos docuerat modumque, quo is viveret qui ipsius carne vesceretur, ita his quae nunc enarramus, et huius vitae efficientem caussam, et caussae efficaciam, et efficaciae originem ac veluti fontem indicavit. Nimirum vitae forma caritas est, caussa cibus ille divinus, Christus inquam, caussae efficacia vita, quam συμφυτον Christus in se continet, efficaciae fons vita Dei; in Deo autem vivere non aliud quam esse.

Quod in prima sermonis parte, antequam concluderet, Christus facere omiserat, in hac altera fecit, ut responso Iudaeis contra dicentibus dato brevem dictorum epilogum

subiiceret. Id quod fieri mos est, ut postquam rem aliquam explicuimus, illud addamus, rem de qua agitur eam esse quam descripsimus. Ita Tullius, ut exemplum adferam quod nunc subit, post narratam caedem Clodii: *Haec sicut exposui ita gesta sunt*; item Virgilius Priami nece descripta: *Hic finis Priami.* Huiusmodi est epilogus quem dixi. Argumentum fuerat, Christum *panem vitae* esse, *qui de caelo descendit.* Continuo id plenius ipse explicuerat. Re explicata dictorum summam colligit his verbis, quae sunt in v. 59, ac si diceret: Quid panis ille sit vobis exposui, is nimirum non de quo superius, sed de quo nunc, longe alius illo quem Moyses maioribus vestris praebuit, proinde signum multo magis mirandum eo quod mihi opponebatis. Ex quo adparet manifesto, cur in hoc epilogo atque etiam in conclusione quae sequitur, nomen *panis* denuo usurpatum sit; usurpari namque necesse fuit, quum quid hic panis esset enuntiari oporteret.

Nunc utramque rationem compara, qua Christus respondit iis, tum quae in prima sermonis parte Iudaei opposuerunt, tum quae in altera, atque hoc unum velim me doceas. Si altera responsio metaphoris constaret, proinde de eadem re esset ac prima, de fide videlicet, cur post rem hanc propriis verbis iam explicatam confirmatamque in prima parte, dimidio fere plus verborum in huiusmodi metaphoris urgendis impensum in hac altera?

Denique Christus ita concludit: *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum* v. 59. Hanc responsionis simulque partis alterius conclusionem esse patet, quum his totus sermo absolvatur. De quibus idem dictum puta ac de postremis verbis versus 52. Enimvero ecquis credat huius tropi ad id quod significare eo voluisset sane inepti, Christum adeo fuisse tenacem ut vel in fine sermonis, in ipso inquam fine sermonis, rem tandem aliquando proprie enuntiare ut ita dicam exhorruerit? Non ita profecto primam partem concluserat, sed verbis maxime propriis, usurpataque illa adfirmationis veluti formula, quam solebat: *Amen amen dico vobis*, rem apertissime edixerat.

Quae quum ita sint, si Sacramentariis fixum est ut negare pergant Christum ipsam carnem suam non in speciem sed re vera comedendam sese praebiturum promisisse, alterutrum ipsi nobis recipiant necesse est, vel hunc Christi et Iudaeorum sermonem non duabus partibus materie inter se distinctis constare, vel non inepte atque ab re primae parti, in qua materies propriis vocabulis ac verbis proposita fuerat ac declarata, alteram partem additam, eodem plane ordine similibusque dicendi formis, totam tamen e metaphoris ita conflatam ac si Christus, quae proprie antea dixerat atque exposuerat, postea his vocum immutationibus, scilicet perspicuis obscura substituens, clariora efficere adgressus fuisset; quorum duorum illud oculi, hoc communis sensus refutabunt.

Quae post sermonem absolutum acciderunt, interpretationem nostram adprime comprobant. Etenim iam non ceteri sed discipuli ipsi Christi re audita primo mussitare inter se v. 61: *Durus est hic sermo, et quis potest eum audire*? tum magistrum deserere atque abire v. 67. Id vero quod his durum videbatur, non illud esse potuit quod Christus dixerat, sive sibi fidem habendam, sive se de caelo descendisse, sive eos qui *in ipsum crederent*, aeternum victuros esse; haec enim atque horum similia alias saepe audierant e magistro suo eaque credebant. Illud novum atque inauditum, Christum carnem suam comedendam praebiturum; in hoc ea durities, haec caussa murmuris ac defectionis. Quid ergo Christus? num eos tandem metaphorae sensum docet? num quod hanc minime intelligerent, redarguit? Atqui id facere oportebat; neque enim discipulis culpae vertendum, si nondum quid metaphora haec multo obscurissima significaret, erant adsequuti. Attamen non modo non fecit, sed contrarium fecit, ac verborum suorum intellectum qualem illi ceperant, ipsorum in mentibus confirmavit. Lege versus 62 et 63: *Sciens autem Iesus apud semetipsum quia murmurarent de* HOC *discipuli eius*, *dixit eis*: Hoc *vos scandalizat*? Adtente nota istud *hoc*; Christus videlicet de eo ipso loquitur quod discipulis durum auditu, incredibile ac portenti simile videbatur,

de eo inquam, non quod metaphora, si qua in his esset, sed quod verba in proprium sensum accepta designabant, hoc namque non illud caussa fuit cur hi murmurarent, hoc eos *scandalizabat*. Continuo autem haec subiicit: *Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius?* quae quis non perspiciat ad id pertinere, ut fidem conciliaret eidem huic ipsi rei cui illi derogabant? Non ergo est dubium quin proprium verborum sensum tali argumento confirmare Christus sibi proposuerit.

Atque hic locus est quo quamdam difficultatem removeamus. Aiebam Christum Iudaeis signum quo ipsis fidem faceret, flagitantibus adnuisse, hocque signum esse eucharistiam. At enim qui potest eucharistia pro signo haberi, quo Christo credamus, si eucharistiam esse ii solum credunt, qui iam Christo fidem habent? Nempe quo huic signo auctoritas et fides adiungeretur, alio praeterea signo fuisset opus. Verum quid respondeamus in promptu est, quum quod opponitur Christus ipse occupaverit. Etenim ut evinceret posse se signum, quod pollicebatur, quodque discipulis incredibile erat, exhibere, aliud insuper signum a se exhibitum iri praedixit, quod suis ipsi oculis essent conspecturi v. 63. Ceterum si Christo ea potestas est ita nos carne et sanguine suo pascendi ac potandi, ut nec ipse quid inde detrimenti capiat, et nobis tali cibo nutritis vitam conferat sempiternam, nonne hoc satis signum erat, quo dictis doctrinisque suis fidem faceret, adsensumque his hominum exigeret? neque enim dixerat sensile aliquod signum dare se velle. Lege quae de notione voci *signo* subiecta disputavi in interpretatione vaticinii ab Isaia editi de virgine paritura (1).

Qui nobis opponunt ea verba quae statim sequuntur: *Spiritus est, qui vivificat: et cetera* v. 64, frustra sunt, nec eos vel minimum moramur. Esto, si lubet, sensus quoque spiritalis iis subsit, de quibus Christus cum Iudaeis fuerat colloquutus, non id nunc quaeritur, sed an Christi *caro comedenda* et *sanguis potandus* τροπικως dicta sint. Hoc Sacra-

(1) De evangeliis lib. III. dissert. XVI. c. III.

mentarii nobis recipiant oportet, hoc ipsis pervincendum. At numquam pervincent, neque e verbis quae opponunt, efficient, ni antea demonstrent verba *spiritus et vita sunt* tantumdem neque aliud sonare, quam *translata sunt, immutata sunt*, ita ut *spiritus et vita* idem sit ac *metaphora*. Ni inquam id faciant, numquam quod contendunt efficient. Interea vero, dum qui faciant excogitant, nos plura adiicere supersedebimus.

Pag.	Lin.	EMENDATIONES
2	8	momentum
»	23	*divinitus*
7	9	neque hunc scribenda docens
12	25	paucioresve
16	6	sed αἰτιωδης
»	28	praenuntiatae
18	27	Paralipomena, Esdras, Tobias
22	34	simularet
24	18	demonstrant
35	18	*peccaverunt*
45	13	aptissime redditum
48	9	eaque

IMPRIMATUR
Fr. D. Buttaoni S. P. A. Mag.
IMPRIMATUR
F. A. Ligi Vicesg.

220.1
P275

6085

PATRIZZI, FR. X.

AUTHOR

Comentationes de Scripturis Divinis, De Peccati Original
TITLE
is Propagatione, De Christo
Pane Vitae

DATE LOANED | BORROWER'S NAME

Husman
Cunn

STORAGE

6085